Assistentiæ Germaniæ S. J.

Amuletum Castrense:

Siue


ANTIDOTVM ADVERSVS PERNITIOSOS CALVMNIARVM AFFLATVS, TRISTESque bellorum motus, ex Boëmico tumultu enatos.


AVCTORE

ADAMO TANNERO, E SOCIETATE IESV THEOLOGO.

In quo

DISCVSSIS VANIS, VARIISQVE ACATHOLICORVM QVORVNDAM LOEDORIIS ET criminationibus; tum aduersus Religionem Catholicam; tum aduersus Principes Orthodoxos, & Ecclesiasticum Ordinem; in primis verò contra Societatem IESV sparsis; vera bellorum ac tumultuum præsentium origo detegitur; & quoad fieri potest, innoxijs, honestisq; modis ac medijs, seu amolienda, seu toleranda proponitur.


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



INGOLSTADII,

Ex Typographeo Ederiano, apud Elisabetham Angermariam, Viduam.

Anno Domini M. DC. XX.

Approbatio Facultatis Theologicæ Ingolstadiensis.

Cum Orthodoxis omnibus hoc vnice propositum sit, vt (sicubi fides & religio salua esse potest) se pacificos exhibere studeant, etiam ijs, qui pacem oderũt; iniquissimos esse apparet eos, qui Catholicos Doctores, velut ruptores fœderum, dissenssionis etiam ac bellorum incentores incusant; quoram calumnia, quia *Castrensi* hoc *amuleto*, solidissimis, è Scripturâ, Patribus, & multiplici ratione deductis argumentis refutatur, ac in ipsos eius authores iure optimo (multæ hoc & præclaræ probant rationes) retorquetur; dignissimũ illud censeo, quod euulgatum typis omnibus innotescat.

LEO MENZELIVS S. Theol. D. & Profess. & pro tempore Decanus, Vniuersitatis Ingol. Rector & Procãcellarius, &c.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

IV. Nec Iesuitas, nec cæteros Ecclesiasticos, dum vel ex officio, vel pro ratione instituti sui, Religionem Catholicam contra aduersarios propugnant, seditionum ac bellorum culpam sustinere; nec ideo suum officium vocationemq; deserere posse.

V. Causam ac culpam bellorum & tumultuum, quibus Germania ac finitimæ Prouinciæ, religionis causa, Annis iam fere centum infestatæ fuere, sustinere inquietum noui Euangelij spiritum, ad concitandas turbas natum.

VI. Culpam bellorum, ac turbatæ pacis ex Caluini schola enatam, hoc tempore, in solidum residere penes Incentores & Antesignanos Boëmicæ rebellionis, eorumq; coniuratos.

VII. Causam generalē bellorū esse peccata; quæ proinde omni studio emendanda.

VIII. Bella bonis non nocere: & quodnam belli tempore sit Christiani hominis, atque etiam militis officium.

IX. Veræ ac solidæ pacis constituendæ ratio, & votum.

AD

Digitized by Google



AD CANDIDVM Lectorem.

QVanam, & quãta mala, iam ab Anno M. DC. XVIII. primum quidem Boëmiæ Regnũ; deinde vero, ſerpente magnis incrementis contagione, Auſtriam; mox etiam Anno M. DC. XIX. Morauiam, Sileſiam, Hungariã; ac ipſas deniq; etiam Romani Imperij partes ac Prouincias quaſdam, non corripuerint ſolum, & obiter ſtrinxerint; ſed quaſdam etiam tantum non oppreſſerint, atque in hodiernum vſque diem pertinaciter premant, ac minaciter obſideant, nemo eſt, qui neſciat. Nec verò quiſquã bonus eſſe poteſt, qui hæc non doleat; quique remedium ac finem tantis calamitatibus non optet, verâ ac firmâ pace conſtituta. Hæc namque mala, *vt ſapienter pronuntiauit S. Auguſtinus,* tam magna, tam horrenda, tam ſæua, quiſquis cum dolore conſiderat, miſeriam neceſſe eſt fateatur. Quiſquis autem patitur ea, ſine animi dolore, vel cogitat, multò vtique miſerius, ideo ſe putat beatum, quia & humanum perdidit ſenſum. *Auguſt. tom. 5. lib. 19. de Ciuit. cap. 7.*

Sed & in hoc facile omnes conſentiunt, vt velut in grauioris morbi graſſante periculo, cauſam mali inueſtigandam,

gandam, eamque pro viribus auertendam censeant; siquidem mali originem deprehendisse, malum ipsum propemodum effugisse est: attamen cum particulatim causa & origo mali designanda est, tunc nimirum tam variè sententijs disceptatur, quam varia sunt disceptantium studia, & diuersi affectus. Nemo est, qui non eam, cui suam fidem animumque addixit, partem, à tanti mali culpa liberam pronuntiet; Nemo qui non in aduersæ partis studia conatusque causam reijciat: vel quia nemo quod à tergo est manticæ inspicit, vel suum quisque, quem palam etiam gestat næuum, tegit.

Quodsi Acatholicorum quorundam de hac causa sententiam roges, eam mox ipsi non dubio iudicio depromunt. Quidam ipsam Catholicam Religionem accusant; quasi Deus iusto iudicio eam ob impios errores, ac detestabilem, vti ipsi vocare solent, Idololatriam, mulctatum, ne dicam, in Germania euersum ire decreuerit. In quo genere sunt illi etiam, qui superiore Anno M. DC. XIX. exeunte, germanico scripto, ob occupatam, vti iactabant, Hungariã, Catholicis & Catholicæ Religioni, quasi DEVS ipse suo eam iudicio damnet, insolenter admodum insultabant, in eas etiam temerè voces effusi: ô Cæcitas Iudaica, ô pertinacia Assyrica, ô tenebræ Babylonicæ.

De occup. Reg. Hung. Praga, Anno 1619.

Multi, Reges ac Principes Catholicos causantur; quasi pacta & conuenta de libertate fidei cencedenda non seruarint; sed vel per se, vel per suos Administros variè violarint. Hanc quasi palmarem ac palmipedalem suæ iam ab initio defectionis, ac conspirationis causam palam ac vbiq; prætenderunt Bohemi; in hac vel sola satis sibi virium ac præsidij esse rati, qua suam causam tuerentur.

Plurimi, ac pene omnes, inter cæteras causas, tum ex Ecclesi-

Digitized by Google

Ecclesiasticis etiam Præsulibus nonnullos, tum præcipuè Iesuitas culpant, quasi zelo Religionis Catholicæ plus nimio indulgentes, vel priuatis consilijs, vel publicis concionibus ac libris, literas Regiæ Maiestatis, pro libertate Religionis Anno M. DC. IX. in Bohemia concessas, aut violarint ipsi, aut violandis ijs causam præbuerint. Estque id adeo nunc crebris Aduersariorum quiritationibus ac nænijs, voce ac scripto passim diuulgatum, ac decantatum, vt quod credi vix possit, nonnulli etiam Catholicorum in eam propemodum inducti esse ferantur sententiam; siue quia ob animi candorem ac integritatem, suo alios pede medientes, sibi persuadent, falsum esse non posse, quod tam consentientibus plurium vocibus conclamatur; siue quia dum in Iesuitis zelus Religionis culpatur, eam ipsi accusationem in Iesuitarum potius honorem, quam probrum cedere interpretantur; vt non tam maleuolentiæ videatur, eiusmodi querelis fidem habuisse, quam inuidiæ, abrogasse: siue denique quia ex illis ipsis, qui se Catholicos profitentur, nonnulli partim religionis affectu, partim studio pietatis languidi, facile improbant ea, à quibus sua non probari studia affectusque intelligunt.

Quid vero ex his iudicijs consequens sit, nemo est, qui nesciat. Nimirum hæc principia hę sequuntur conclusiones: Vt Acatholici illi, quoniam Iesuitis, Principibus Catholicis, ipsique Fidei Catholicæ, has clades imputant, non occultè eam ipsam, veluti originem ac fontem malorum, exterminandam proclament. Quod ipsum tamen in Iesuitas quidem, vt à quibus nihil admodum sibi metuunt, palam & apertis vocibus sane impudenter faciunt; in Principes autem & Religionem ipsam Catholicam, tantò re ipsa nocentius, quanto verbis parcius.

Cæterum

Digitized by Google

Cæterum vt ſuus veritati, ac innocentiæ ſtet honor; atque etiam vt non inanibus ſtudijs malis præſentibus obuiam eatur, veraque & belli amoliendi, & pacis tuendæ obtinendæque ratio ineatur, his omnibus cauſationibus refellendis, breuiculus iſte libellus conſcriptus eſt, Amuleti caſtrenſis *nomine; vt inter caſtrenſes haſce turbas, graueſque volaticæ famæ halitus, aduerſus pernitioſos calumniarum afflatus præſens antidotum exhibeat: in quo perſpicuè oſtenditur, non Religioni Catholicæ; non Principum, aut Præſulum Catholicorum; nec etiam Ieſuitarum in religionem Catholicam ſtudio, præſentem hanc tumultuum ac bellorum tempeſtatem imputandam. Deteguntur ſimul etiam, quia ita & res ipſa poſtulabat, & accuſatorum importunitas cogebat, veræ ac genuinæ eius perturbationis, malorumque paſſim graſſantium cauſæ; ſiue vt, ſi fieri poteſt, in præſens emendentur; ſiue vt in poſterum caueantur. Et quamuis ipſe etiam à ſtudio partium alienum me profiteri nec velim, nec poſſim; ita tamen, DEO benè iuuante, rem exequar, vt nil affectui, ſed puræ & ſynceræ veritati ſolum ſtuduiſſe, etiã aduerſæ partis lector intelligat; ſi modo affectum ipſe ſuum ita cum veritatis amore contemperet, vt non plus affectui dediſſe videri velit, quam veritati. Proteſtor ſimul, cum non minus pacis publicæ ſtudium, quam veritatis amor vnicè mihi cordi ſit, nihil me docturum dicturumùe, quod aut doctrinæ Catholicæ Eccleſiæ, aut ſacri Romani Imperij Conſtitutionibus, publiciſque pactis & conuentis contrarium ſit; ac ſiquid forte præter mentem ſecus dictum exciderit, irritum indictumque habere velle.*

CAPVT



CAPVT I.

Ecclesiam veram & Catholicam semper bellis ac persecutionibus fuisse infestatam; vinci tamen non posse: nec adeo pacem eius oppressione speran- dam.

VEtus est hæc, etiam olim ante annos plus mille ducentos, aduersus Christianos, ac ipsam Christi Ecclesiam, ab infidelibus iacta Calumnia; eam esse, quæ causam culpamq; bellorum, aliarumq; calamitatum, quibus tunc etiam Romanũ premebatur Imperium, præbeat & sustineat; absq; ea, si mundus foret, aut mala tanta nõ extitura, aut certè nõ tam diuturna. Refert, & refellit hanc accusationem ex instituto S. Augustinus prioribus libris quinque de Ciuitate Dei; *Occurrit*, inquit, *mihi respondendũ esse primitus eis, qui hæc bella, quibus mundus iste conteritur, maximeq; Romanæ Vrbis recentem à barbaris vastationem, Christianæ Religioni tribuunt, qua prohibentur nefandis sacrificiis seruire dæmonibus.* Et rursum: *De Ciuitate Dei*, inquit, *dicere exorsus, prius respondendum putaui eius inimicis; qui terrena gaudia consectantes, rebusq; fugacibus inhiantes, quidquid in eis triste, misericordia potius admonentis Dei, quàm punientis seueritate, patiuntur, Religionem increpi-*

August. lib. 2. de Ciuit. cap. 2.

August. lib. 4. de Ciuit. cap. 1.

tant Christianam; quæ vna est salubris & vera Religio. Et deniq;: *Multi,* inquit, *præteritarum rerum ignari, quidam etiã dissimulatores suæ scientiæ, si tẽporibus Christianis aliquod bellum paulo diutiùs trahi vident, ilico in nostram Religionem potentissimè insiliunt, exclamantes, quod si illa non cesset, & veteri ritu Numina colerentur, iam Romana illa virtute, quæ adiuuante Marte & Bellona, tanta celeriter bella confecit, id quoq; celerrimè finiretur.*

August. lib. 5. de Ciuit. c. 21.

His affines, hoc tempore, sunt ex Acatholicis Scriptores nonnulli, qui occasione Boëmicæ seditionis, cuius fautores se profitentur, Ecclesiæ Catholicæ acerbè admodum ac impudenter insultãt; ita quidem, vt non solum præsentes ipsi calamitates imputent; Sed simul etiam exitium, interitumque minitentur. Talis est auctor Scripti illius Germanici, quod exeunte Anno M. DC. XIX. sub titulo, *Occupationis Regni Hungariæ,* Pragæ euulgatũ est. Is enim cùm in ipso libelli titulo magna elati animi significatione, nec minori vanitate iactasset, *præter spem omnem humanam* (Deo scilicet auctore) *Regnum Hungariæ à Transyluano principe fuisse occupatum, ipsamq; Coronam Regni ab eodem obtentam,* tandem in fine aduersus Catholicos ita exclamat: *O Cæcitas Iudaica; ô pertinacia Assyrica; ô tenebræ Babylonicæ;* addit; *nec si Propheta ipse Ieremias adueniret, fidem apud eos repertũrũ.*

Nec minus Boëmi Rebelles, Deum, veluti suæ causæ ac Religionis *Vtraquisticæ,* seu quod idem est, *Husso Piccardo Luthero Caluinisticæ,* patronum ac defensorem; Ziskam verò nefarium eius vindicem magnificè iactant; etiã Cantico, *Te Deum laudamus,* in publicæ lætitiæ ac gratulationis signum decantato;

Digitized by Google

tato; quando Turcæ Vasallus ille Christiani ac Catholici Regis prouincias vastarat.

Tales sunt etiã plures aliæ Lœdoriæ, aduersus Religionem Catholicam ab Acatholicis quibusdã Sannionibus & Irrisoribus hoc anno M. DC. XX. editæ; in primis vero charta fabulatoris Anonymi, qui vernacula lingua, sub nomine, *Venæsectionis Papisticæ*, libellum edidit, in quo Ecclesiæ Catholicæ insultat, quasi de eius vita & valetudine iam sit actum & conclamatum. Die Bäpstische Aderlaß.

Nec multo aliter non ita pridem Caluinisticus Preco, belli Turcici causam in Catholicę religionis impietatem contulit: *Quid Turcarum*, inquit, *Tartarorum acynaces, aduersus Christianum orbem exacuit, & ad vsq; Germaniæ atq; Italiæ limina pertraxit, nisi inde quidem horribilis Papistarum Idolomania, quæ per nostram discordiam creuit, & crescit in dies: hinc verò Euangelicorum tum peccata alia, tum fatales rixæ atq; conflictus* (quid ni & defectio ab antiqua, vera & Catholica Maiorum fide) *quibus charitus fraterna proculcata, pax intestina conturbata fuit*, &c. Ex quibus duabus causis posteriorem vt negemus nullã plane causam habemus. Addit idem Haidelbergensis Prædicans minas aduersus totam Ecclesiam Catholicam, quasi breui interituram; si suo consilio pareatur: *Macti*, inquit, *vos Proceres, vos Ordines, vos Theologi, qui sanctum* (quintum) *Euangelium communiter in Germania profitemini, quid cessatis? aut quid litigatis amplius? Insistite vestigia laudatissimorũ Bohemiæ procerum, Ordinum, Theologorum: & facessent in Germania rixæ, cessabunt scandala, redibit pax, vigebit Concordia, curret Euangelium, florebũt* David Pareus in Irenico cap. 14. & 18.

Ecclesiæ, ruet Papatus, regnabit Christus, conficietur Antichristus. Nimirum qua ratione & Lutherus olim intra biennium, (mendaciter quidem) Ecclesiæ Catholicæ interitum est vaticinatus.

Luth. admonit. ad Christ. tom. 2. ien. Germ. fol. 69.

Sed frustra sunt Illusores isti; nunquam ipsi, nunquam eorum posteritas, Ecclesiæ Catholicæ ruinam & interitum spectabunt. Peribunt ipsi, non peribit Ecclesia Catholica; Hæc est enim *Thronus spiritualis, Soliumq; ac Regnum Dauidis*; quod *instar Solis in æternum manet*; hæc est *tabernaculum*; *quod nequaquam transferri poterit*; *nec auferentur claui eius in sempiternum: & omnes funiculi eius non rumpentur*: Hæc est Ierusalem illa; cuius *custodes* murorum *tota die, & tota nocte, in perpetuum non tacebunt*. Hoc *regnum illud, quod in æternum nõ dissipabitur*: hæc *sponsa*, quam Deus repudiata Synagoga, *sibi desponsauit in sempiternum*. Hæc est *mons Sion, in quo regnabit Dominus, ex hoc, nunc, & vsq; in æternum*: hæc *Sedes Dauid*, *& domus Iacob*, *in qua regnabit* Christus *in æternum*; *& regni eius non erit finis*: Hæc est illa *Ecclesia, aduersus quam portæ inferi non præualebunt*: Hæc deniq; est, *columna & firmamẽtum veritatis*. Certè Hussitica, Pikarditica, Lutherana, Caluiniana, Zuingliana, Anabaptistica, talis Ecclesia non est: quarum singulas totis mille retro, & amplius annis, nec vnicam quidẽ vrbem, pagũ, domum, angulum, familiam, imò nec vnum hominem sui asseclam & professorem habuisse constat. Sola Catholica Romana Ecclesia, iuxta adducta scripturæ sacræ vaticinia, à primis Euangelij primordiis, constans semper, & aduersus omnes Tyrannorum & hæreticorum insultus stabilis in

Psal. 88. Isai. 9. Isaia 33. Isai. 62. Daniel. 2. Osee 2. Luc. 1. Matth. 16. 1. Tim. 3.

fide,

Digitized by Google

fide, fideique confeſſione permanſit: talis proinde etiam ad finem vſque mundi permanſura.

Eccleſia nimirum, inquit S. Ambroſius, *tempora ſua habet perſecutionis & pacis. Nam videtur ſicut Luna deficere; ſed non deficit: obumbrari poteſt; deficere nõ poteſt.* Ambroſ. lib. 4. Hexaemer. c. 7.

Et S. Hieronymus: *Super Petram*, inquit, *fundata Eccleſia, nulla tempeſtate concutitur* (ad ruinam) *nullo turbine, ventisq; ſubuertitur. Portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam.* Hieron. in cap. 4. Iſai.

Fidelis ſermo, inquit S. Athanaſius, *& non vacillans promiſſio. Eccleſia inuicta res eſt: Etiamſi infernus ipſe commoueatur; etſi qui in inferno ſunt, mundi principes & tenebrarum tumultum faciant.* Athanaſius orat. quod vnus ſit Chriſtus.

Et S. Chryſoſtomus: *Sanguis Chriſti irrigat Eccleſiam; & ideo plantaria eius marceſcere non poſſunt; nec amittunt folia arbuſta eius; non ſubiacet neceſſitati temporis; nec eſt conditioni obnoxia, vt per æſtatem coma foliorum tegatur, hieme amittatur. Non tenetur temporũ qualitate; Sed ſpiritus eam Sancti gratia gubernat; & ideo nõ ſeneſcit, nec contrahitur; & multis impugnantibus, non opprimitur. Chriſti enim Eccleſia*, inquit idem alibi, *nihil fortius. Siquis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt, velut ſi cœlo bellum meditetur inferre, &c. Fortior enim Eccleſia multò, quàm terra; imo & fortior cœlo. Cœlum & terra tranſibunt, verba autẽ mea non tranſibunt, &c. Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferi non præualebunt in eam. Conſtat nimirum*, vti idem S. Pater ait, *Eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florens ac fulgens, in dies magis ac magis vigens, creſcens, & plus roboris ſumens.* Chryſoſt. ſerm. de Pentec. Chryſoſt. hom. cum in exilium mittẽdus eſſet. Chryſoſt. demonſt. aduerſ. gent. quod Chriſtus ſit Deus.

Teſtis eſt vtraq; India, Iaponia, China, è quibus

Digitized by Google

Ecclesiæ Catholicæ, multo plus terrarum accessit, quàm in his partibus hæresum vastatione decesserit. Parua sunt hæc, quæ hodie Ecclesia Catholica ab hostibus perpetitur aduersa & pericula, præ illis, quæ olim à Tyrannis & hæreticis perpessa est. Sane sub Annum Christi CD. XC. Gelasio Pontifice, Imperator Anastasius, Eutychianus erat Hæreticus; Reges Italiæ, Hispaniæ, & Affricæ erant Ariani; Reges Francorum, Anglorum, Germanorum Pagani: & tamen vera Ecclesia destrui non poterat: *quia fundata erat super Petram, & portæ Inferi adversus eam non poterant prævalere.*

Vid. Chronolog. Bellarm. ibidē.

Sed forte, inquit S. Augustinus, *ista ciuitas, quæ mundum tenuit, aliquando euertetur? quid times, ne cadat firmamentum?* Fremant ergo licet Judæi; frendeant hæretici; omnigeni hostes vndique insaniant; nunquam Ecclesiam Christi Catholicam euertent; nauicula hæc mari procelloso assiduè iactatur, sed non absorbetur: concuti ventis & fluctibus potest; euerti nō potest. De Lutheri potius, Caluini, ac nouo quisq; suo Euangelio viderint aduersarij; cui Lutherus ipse in Germania interitum toties minitatus est: quodq; vt nouiter primùm exortum est, ita quandoq; etiam defecturū, omnium sectarum more, planè existimandum est.

Aug. in Psal. 47.

Vid. Prophetias Lutheri latinè editas Anno 1550. per Ioannem Amsterdamū plurib. locis, & germanicè per M. Georgium VValther An: 1559. tit. 1. append. Colloq. Sympos. Francof. Anno 1571.

Quod si iam primum persecutiones experiretur vera Ecclesia; antea semper ab iis immunis, tùm quidem ratio esset, cur nouum illi quippiam euenisse, neque pristino eam amore à Deo diligi, crederemus: iam vero quis nesciat, pios & Orthodoxos nullo ferè non tempore persecutionibus, bellis,

Digitized by Google

bellis, aliisq; calamitatibus à Deo priuatim publicèque fuisse exercitos? In prima orbis terrarum familia & principatu, nonne pius Abel ab impio Cain atrociter trucidatus fuit? Annon in Abrahami domo proteruus Ismael bene moratũ Isaac; in Isaaci progenie reprobus Esau dilectum Deo Iacobum; in Iacobi familia inuidi fratres amabilem Iosephum acerbè persecuti fuerunt?

Aduersus Dauidem, virum secundum cor Dei efformatum, quantæ non calamitates Deo seu volente, seu permittente immissæ? Saulis acerba persecutio, fuga & exilium ex patria; vnius desideratissimi filij orbitas; alterius funesta ex fraterno ferro cædes; tertij impia defectio, & aduersus patrem coniuratio; vxorum simul ac filiæ incęsta violatio; pestis & lues in populum desæuiens; bella penè assidua à Philistæis, Amalecitis, Ammonitis, Idumæis, Syris: propriæ vero ipsius personæ quanta nonnunquam depressio; vsque ad fugam nudipedem ex Regia, grauissimas contumelias & opprobria subditorum, ac præsentissimũ mortis funestæ periculum. Et inter hæc omnia tamen aduersa, quanta regnantis gloria; quàm augustum Imperium; quàm gloriosus & fœlix in pace exitus. Vt verè dici possit, neminem è regibus facilè sanctiorem fuisse Dauide; è Sanctis Regibus nullum maioribus fuisse afflictatũ calamitatibus in Imperio; nec vllum tamen imperasse gloriosiùs.

Vid. lib. 1. & 2. Reg. & 1. Paralip.

Vel hinc ergo constat, non solum orthodoxos; sed etiam pios, imò magnos, & fortunatos aliquãdo reges, à Deo nonnunquam bellis exterorum, rebel-

rebellione subditorum, perfidia domesticorum, aliisque calamitatibus à Deo affligi: vt id proinde etiam hodie cum accidit, non sit documentũ falsæ Religionis; sed sæpè probatio virtutis; quia Deus, *quos amat, castigat*; nonnunquam macularum & delictorum, quæ etiam in sancta Religionis professione, virisque sanctis obueniunt, velut purgatorius ignis.

Hebr. 12. Apocal. 3.

Taceo bella Philistęorum, Chaldęorum, Gręcorum, aliorum Ethnicorum contra orthodoxam Iudæorum olim Synagogam; omitto sæuissimas persecutiones Tyrannorum; bella & vastitates Gothorum, Hunnorum, Vandalorum, Turcarum, contra vniuersam Christi Ecclesiam: in quibus si quis eorundem victorum Religioni fauorem Numinis tribuat, næ ille Christiani nomine indignus iure censeatur. Occuparant iam S. Augustini tempore, Gothi, Alarico, Rege & Duce, Romam: Vandali deinde non ita multò post, aliiq; populi in Africâ, aliisque Romani Imperij Prouinciis, Catholicos sæuissima persecutione oppresserant, Deo quidem permittente, atq; etiam scelera vindicante, sed nunquid ex odio Catholicæ Religionis? Pro cuius defensione potius eo ipso tempore duo sanctissimi & doctissimi Ecclesiæ Catholicæ præsules Augustinus & Saluianus bene prolixas Apologias scripserunt.

Vid. S. August. libris 22. de ciuit. Dei; Saluianum libris octo de prouidentia Dei; & aliis quatuor de Ecclesia.

Quam diu stat Ecclesia, necesse est, eam igne tribulationis excerceri, purgari, perfici. *Nunquid modo*, inquit S. Augustinus, *& non olim est Ecclesia? Ex quo vocantur sancti, est Ecclesia in terra. Aliquando in solo*

August. enarrat. in Ps. 128. Genes. 4. Genes. 5. Genes. 6.

Digitized by Google

in solo Abel Ecclesia erat, & expugnatus est à fratre malo & perdito Cain. Aliquando in solo Enoch Ecclesia erat, & translatus est ab iniquis. Aliquādo in sola domo Noe Ecclesia erat, & pertulit omnes, qui diluuio perierunt; & sola Arca natauit in fluctibus, & euasit ad siccum. Aliquando in solo Abraham Ecclesia erat, & quanta pertulit ab iniquis, nouimus. In solo filio fratris eius Loth, & in domo eius, in Sodomis, Genes. 19. *Ecclesia erat, & pertulit Sodomorum iniquitates & peruersitates, quousq; Deus è medio ipsorum eam liberauit. Cœpit esse & in populo Israël Ecclesia; pertulit Pharaonem & Ægyptios. Cœpit & in ipsa Ecclesia, id est, in populo Israël, numerus Sanctorum; Moyses & ceteri Sancti pertulerunt iniquos Iudæos, populum Israël. Ventum est & ad dominum nostrū Iesum Christum, prædicatum est Euangelium: dixit in Psalmis, Annuntiaui & locutus sum, multiplicati sunt super numerum, persecutores Christi & Ecclesiæ.* Quid ergo misellus ille declamator Catholicis adeo impudenter insultat, & *cæcitatem Iudaicam, pertinaciam Assyricam, & tenebras Babylonicas* exprobrat, quasi vllam religionis causa vindictam diuinitus experti sint; cum nunquam non veræ Religionis asseclæ ab impiis persecutiones sustinuerint.

Alia sunt longe grauiora, ex quibus inter eos, qui Christi nomen profitentur, Religionis professę falsitas æstimari debet, argumenta. Est religionis nouitas, & plus mille annis retro inaudita professio: cum tamen aduersus veram Christi fidem, & Matth. 16. Ecclesiam, ipsius Christi promisso, *nec* ipsæ *infero-* Vers. 18. *rum portæ præualere* vnquam possint.

Sunt sectæ cuiusq; particularis angusti limites; cum ex innumeris Scripturæ diuinæ testimoniis, Psal. 2. 18. 21. Malach. 1. vera Ecclesia & Religio per terrarum orbem, *omni-*

Matth. 13. 24. 28. Luc. 24.

bus gentibus prædicata, diffundi, & *crescere debeat vsq; ad* extremi iudicij *messem*.

Est Apostolicæ & legitimę Doctorũ & Pastorũ, iam ab initio Ecclesiæ Christianæ ad nos vsq; continuatæ, successionis defectus: Siquidem DEVS in Ecclesia constituit *Pastores & Doctores in ædificationem corporis Christi*, vsque ad finem mundi permansuros; *qui in perpetuum non tacebunt*.

Ephes. 4. Isai. 6.

Est defectus communionis cum Apostolica & Romana cathedra Petri: super quam veluti *petram* Christus *ædificauit Ecclesiam suam*, nullis inferorum viribus euertendam; & cui disertis adeo verbis dedit *claues Regni cælorum*, ac totius Ecclesiæ supremã potestatem; quemque iteratis vocibus totius sui *ouilis pastorem* constituit; cuius fides ad *fratres confirmandos* necessaria, *nunquam sit defectura*.

Matth. 16. Ioan. 21. & 15. Luc. 22.

Hæc nimirum illa cathedra & Ecclesia est, *ad quam*, teste S. Irenæo, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, & eos qui sunt vndiq; fideles: ad quam*, teste S. Cypriano, *perfidia non potest habere accessum: quæ*, teste S. Syluestro, *à nemine potest iudicari: contra quam*, teste Optato Mileuitano, *si quis alteram cathedram collocet, schismaticus sit: supra quam*, teste S. Hieronymo, *ædificata Ecclesia est; ita, vt quicunq; extra hanc domum agnum comederit, profanus sit; Si quis in ea velut arca Noe non fuerit, periturus sit regnante diluuio: quæ*, teste S. Augustino, & ipsa Ecclesiâ Christi, olim contra Donatistas hæreticos palam concinente, *est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ*; &, *in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus. Cui*, deniq; teste S. Bernardo, *plenitudo*

Iren. l. 3. c. 3. Cyprian. epist. 46. Sylu. in Synod. Rom. cap. 20. Opt. Mileu. l. 2. cont. Parm. Hieron. ep. 57. ad Damasum. August. Psal. cont. partem Donati. & ep. 162. Bern. epist. 131.

Digitized by Google

tudo potestatis, super vniuersas orbis Ecclesias, singulari prærogatiua donata est: adeo, *vt qui huic potestati resistit, Dei ordinationi resistat.*

Quid dicam de crassâ adeo aduersæ partis in rebus fidei dissensione? quo vel vnico documento apertissimo conuincitur, *Vtraquistarum* illam, vti vocant religionem, veram Religionem & Ecclesiam esse non posse; cum palam sit, eam constare, & quodammodo coagmẽtari ex diuersissimis planeque pugnantibus sectis, Pickarditarum, Hussitarum, Caluinistarum, Lutheranorum; qui circa illud ipsum augustissimum Corporis Christi Sacramentum, quo de cum Catholicis litigant, inter se ipsi toto cœlo dissident: Cum tamen non nisi *vna* sit vera *fides*; sicut *vnus Deus, & vnus baptismus*; nec cogitari absque blasphemia possit, Deum adeo differentes sectas sua auctoritate ac fauore tueri ac prosequi; vt etiam alibi dictum. *Apol. Societ. cont. Boem. cap. 2. & 5.* *Eph. 4. v. 5.*

Quid, quod nullum ipsi habent supremum caput visibile in terris? nullam certam credendi, sacramque Scripturam interpretandi normam? nullam sanctitatis, & diuinorum miraculorum claritudinem? *Apolog. Societ. contra Boem. cap. 1.*

Deniq; vt vno verbo omnia complectar, Vtraquistarum secta, Deo auspice & auctore, Beatis è cœlo fauentibus, Sanctis in terra aspirantibus, antiquis Patribus præeuntibus, antiquioribus Concilijs etiam præiudicantibus, Ecclesia Vniuersali cõsentiente, Imperatoribus ac legitimo magistratu politico suffragante, Academijs Christianis, alijsq; viris doctis astipulantibus, non solum à Romano

Pontifice seorsim, sed etiam à Concilio Generali Romani Pontificis auctoritate ritè celebrato & cõfirmato, ac deniq; etiam proprio ipsorum iudicio, de errore & falsitate dudum est damnata, vt alibi fusius demonstratum est.

Anatom. Confess. Augustana part. 1. & 2. p̃sertim demonstrat. 10.

Hæc igitur sunt documenta & Crinomena, ex quibus de falsitate cuiusque religionis, Christi alioqui nomen profitentis, iudicium ferendum est: cùm è contrario non possit non esse vera religio, quæ contrarijs insignita est notis. Quas breui quasi compendio complexus S. Augustinus. *Multa sunt*, inquit, *quæ in eius* (Ecclesiæ Catholicæ) *gremio me iustissime teneant. Tenet consensio populorum atq; gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate* (adeoq; vitæ sanctitate) *aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post Resurrectionem Dominus commendauit, vsq; ad præsentem Episcopatum* (in Ecclesia vtiq; Romana) *successio Sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa, inter tam multas hæreses, in ista Ecclesia sola obtinuit; vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Ecclesia Catholica.* Ita S. Augustinus.

Augustin. cont. epist. Manichæi cap. 4.

Quod si tamen aduersarijs, Boëmorum coniuratis, concedendum aliquid sit, vt ex bellorum etiam, ac præliorum vtrinq; religionis causa commissorum successibus; de causæ totius ac Religionis momento quandoq; liceat æstimare; non liben-

Digitized by Google

libenter nos quidem ipsis earũ rerum memoriam refricamus, quæ parum ipsos meminisse delectent; attamen quia ita volunt, obsequemur nonnihil; non quidem vllo modo, vt eorum hinc infelicitati insultemus, aut antiqua vulnera refricemus; sed vt videant, suo etiam argumento se conuictos teneri; ne aut de sua sibi religione blandiantur, aut Catholicæ posthac insultare pergant.

De bellis, nostra tantum, & parentum memoria, Catholicos inter & Vtraquistas, in Germania Religionis causa gestis, paucis agam.

Anno igitur Christi M. D. XXV. cum infelices rustici, in Franconia, Thuringia, alijsq; vicinis prouincijs, nouo tum primum illucescentis quinti Euangelij fulgore, an furore perciti, pro libertate simul ac Euangelio, vti ferebant, contra Clerum primum, deinde contra suos dominos, Munzero classicum canente, arma sumpsissent, non tantum infeliciter pugnarunt, sed etiam ingentem eo bello stragem acceperunt, plusquam centum millib' è suis amissis. Non fuisse autem Lutherum plane innocuum, & alienum ab ea rusticorum seditione, vel illud inter cætera satis demõstrat, quòd eo ipso tempore aduersus Magistratum Catholicũ his ipsis verbis scripsisse Lutherum, constat ac refert etiam Sleidanus: *Is est hodie rerum status, vt hunc vestrum dominatum homines nec possint, nec velint, neq; sane debeant ferre diutius.* Nihil ergo à mente Lutheri alienum fecerunt rustici, quod eum dominatum ferre nollent, quem ferre Luthero iudice non debebant.

Sleidan. comment. lib. 1.

Luth. Tom. 2. Ien. Germ. fol. 201.

Sleida. loc. cit.

Anno M. D. XXXI. inter Heluetiorum Catholicos

Surius in Com. anno 1531.

tholicos & acatholicos Tigurinos bellum geritur: ter plena acie concurritur; primo congressu ac prælio die 4. Octobris, Tigurini etsi humanis viribus ac copijs præstarent, à Catholicis Dei auxilio nixis ita fugantur ac funduntur, vt è Tigurinis mille omnino ac quingenti, & inter ipsos ipse etiam belli incentor & eorum pseudoapostolus Zvvinglius ceciderit. Tigurini hac clade accepta, intra paucos dies maiores copias instaurant, accitisque Bernatibus ad triginta hominum millia producūt in aciem. Catholici non plus octodecim millibus instructi aduersos se opponunt. Prælium initur die 17. Octobris, Zvvingliani denuo cæduntur & fugātur turpiter, septingentis in conflictu occisis, quingentis flumine haustis. Sed & Tertio à Tigurinis & Bernatibus pugna instruitur; inuocatis in eam rem etiam Basileensibus, Schaffhusianis, Sangallijs, & Mülhusianis; dies erat 24. Octobris, noctis tenebræ deliguntur, Catholicis velut ex insidijs & inopinatò opprimendis idoneum tempus; pugnatur à Catholicis strenue, & licet initio non paucis amissis, tandem tamen in fugam hostis acatholicus vertitur, aliquot millibus denuo desideratis, &c.

Nec prospere magis acatholicis Heluetijs successit expeditio seu machinatio aduersus Catholicos ad Eremum B. Virginis, voti causa peregrinantes, ipsamq; ædem sacram, suscepta vel destinata. In omnibus his quidem prelijs, vt rectè notat historicus, *cum Zvvingliani longe essent armis & milite superiores, satis euidēter sese declarauit Supremi Numinis fauor, quo freti Catholici, tam præclaram ex eis victoriam retulerunt.* *Surius ibid.*

Rursum

Rursum anno M. D. XXXIV. Anabaptistæ Monasterienses in Westphalia, audax facinus aggrediuntur, seditionem excitant, Magistratum deponunt, nouum sibi Regem creant, ministros aulæ & duces belli constituunt; deinde verò ab Episcopi milite obsessi, & ad extremam inediam redacti, diu quidem pertinaciter resistunt; attamen capta tandem vrbe, seditiosi debitas dedere pœnas: personatus etiam ipse rex, cum suis consiliarijs, extremo supplicio affectus fuit. Gothicam nimirum illi, seu Wandalicam aduersus totũ orbem Christianum persecutionem meditabantur: sed DEVS illorum consilia & machinationes tempestiue elisit. *Surius Anno 1534.*

Anno deinde M. D. XLVI. post conuentum Smalcaldicum, Protestantes Caroli Cæsari, religionis itidem causa bellum indicunt; ciuitates imperiales Lutheri fermento infectas plerasq; in societatè belli trahunt, vel ad deditionẽ compellunt; in faucibus alpium loca munita præoccupant; Ingolstadij ingenti exercitu & apparatu (erant peditum ad octoginta, equitum ad decem millia, tormenta bellica 130.) Cæsaris castra, in quibus post longam exspectationem, vix quadraginta millia militum, nec in eis equites plures tribus millibus; valide obsident, & oppugnant; vno die nongentos maiorum tormentorum globos in exercitum Cæsaris eiaculati, nec pauciores alijs. Sed quo euentu, norunt omnes. Nimirum vt ex ciuitatibus, quæ defecerant, pleræq; deditionem facere; Principes aliquot à fidelitate Imperatoris abducti, belliquè & defectionis societate implicati, veniam delicti *Surius eodem Anno 1546. Sleidan. lib. 17. histor.*

demissè

demissè petere; duces & auctores belli præcipui, Elector quidē bello captus; Landgrauius vi & necessitate ad deditionem compulsus; ambo captiui, & supplices Cæsari facti, demissis precibus vitam propriam redimere cogerentur, qui Cæsari suam adempturos antea minabantur.

Et cur hic scriptor acatholicus non rectius exclamet? O cæcitas Iudaica? O pertinacia Assyrica? O tenebræ Babylonicæ? Sed melius & grauius scriptor Catholicus ita de hac re pronunciat: *Cum tantæ fuerint, tamq; instructæ hostium copiæ; & Cæsar contra in primis eius belli initijs, adeo imparatus, vt nihil minus quam de bello cogitare videretur; ac nihilo secius tamen omnem hostium impetum, & inuictas vires mirabili ac prope incredibili felicitate perfregerit, & de tota Germania mirabiliter triumpharit; facile, qui volunt, animaduertere possunt, à pio Principe stetisse Deum; hostes verò, tum quod ab auita Patrum suorum religione sanctissima ad noua seditiosorum dogmatistarum commenta desciuissent; tum quod in Principem suum ac Dominum arma temere sumpsissent, diuina ope destitutos fuisse; atq; ideo nihil vnquam fere feliciter gessisse.*

Surius loc. cit.

Contestatur hoc etiam ea ipsa, quam Boëmi eodem fere tempore, cum externo, & per publicū bannum à Cæsare proscripto Principe susceperāt, conspiratio, & aduersus Regem Ferdinandum rebellio; quæ Ferdinandi viribus ita compressa fuit, vt totū Boëmiæ regnum, eiusq; priuilegia omnia, in sua haberet potestate; nisi pro insita sibi benignitate & clementia, mitioribus contentus esse maluisse conditionibus.

Surius anno 1543.

Sleidan. lib. 19.

Illud

Digitized by Google

Illud quidem in Imperio bellum video Protestantibus non parum ex voto successisse, quod dux Mauricius cum Alberto Brandeburgico anno M. D. L I I. aduersus Carolum Cæsarem, quasi pro libertate Germaniæ ac Religionis gessere: Sed certe nulla virtutis laude, nec vllo diuini fauoris argumento. Summa rei gestæ ex ipso Sleidano hæc est. Constitutus iam antea, communi Cæsaris ac Imperij nomine, Mauritius, summus Dux & administrator belli Magdeburgici, copias communi Cæsaris & Imperij nomine collectas, in sua habebat manu. Hic nouandi studio percitus clam Cæsare, Chattos per iusiurandũ in suam fidem adigit, & facta pace cum Magdeburgicis, Galliæ Regem sibi fœdere coniungit, vtrasque copias, tam quæ Magdeburgum antea propugnarant, quam quæ obsederant, sibi iungit vendicatq;: Imperatorem interim missis litteris deludit, quasi in eius obsequio fidelis permaneat; querelas item ad Cęsarem delatas de damno graui à militibus quibusdam locis dato excusat, quasi ob non soluta stipendia tumultuarentur; *hanc enim subiecit causam; cum tamen reuera iam ipsi Mauritio militarent, eiq; tacite Sacramento deuincti essent.* Simulat deinde, se velut ad Cæsaris obsequium Oenipontum aduenturũ, ibiq; hospitium conduci imperat.

Sleidan. lib. 24 histor.

Sed missis ex itinere litteris amicis, & *illata quadam ad excusationem causa*, domum reuertit, & ad hunc modum extracto tempore, cum diem ex die duceret, primo statim vere, nouos militum cœpit habere delectus, quos magno silentio per hyemem colle-

collegent. Satis iam copioso milite roboratus, publicis n Cæsarē querelis grassatur, præter Brandeburgicum, etiam alios Imperij Principes Protestantes, quos non ita pridem Cæsar in gratiam receperat, partim etiam libertate ac vita donarat, in belli societatem aduersus Cæsarem adsciscit. Hinc motis castris, ex improuiso montium fauces, & Tyrols propugnacula occupat, Oenipontū aduenit; Cæsare non inuento regressus, in Imperio ac Imperalibus deinde ciuitatibus multa suo nutu innouat, & constituit, ac passim quasi sine hoste triumphat.

Deniq; verò velut ad publicum Germaniæ incendium sopiendum, Passauij conuentus indicitur; pacis ineundæ ratio ex voto Protestantium proponitur, & extorquetur illa ipsa, quam Catholici etiamnum magna sua iactura luunt & sentiunt; quaque aduersarij tantopere iactant (vtinam hactenus pari studio seruassent) condonationis & pacificationis formula Anno postea M. D. L V. in Comitijs Augustanis confirmata.

Hoc scilicet bellum illud fuisse existimatur, quod Acatholicis restituisse rem in Germania videtur; adeo vt non ita pridem quidam Ministri his ipsis verbis insultando Catholicis scripserint: Diser Krieg steche die Papisten gar sehr in die Augen / welcher den edlen Religionsfriden zuwegen gebracht: hoc est. *Bellum hoc Papistas admodum pungere, quod nobilem illam Religionis pacificationem impetrauit.* Valde scilicet nobilis pacificatio, & transactio, quæ iniquis armis ac violata fide fuit extorta; Cæsare & Catholicis ferme in-

Ioannis Fabri, & Ioannis Gerhardi Confutation eines Papistischen Bedenckens. *Ihenæ 1615.*

me inermibus, ac cum se vel tutissimos existimarent, fraude circumuentis, atq; à proprio, vel communi belli acatholico duce ac milite, fidelitatem & obsequium simulante, oppressis. Pœnam quidem hanc fortasse peccatis Catholicorum debitam existimare licet, vti cap. 7. generatim dicetur: Sed fauorem Numinis erga religionẽ acatholicam non majore iure dixeris, quam triumphatam à Nabuchodonosore Ierosolymam, seu diuino aduersus Idololatriam fauori, seu odio Iudaicæ religionis imputaueris.

Et tamen paulo post eam ipsam acatholicorũ non tam victoriam, quam violentiam, cum iam humanæ vindictæ locus non esset, DEVS ipse vindicem se interposuit. Etenim in Saxonia idem ipse Mauritius florida adhuc ætate iuuenis ab Alberti antea coniurati & commilitonis, postea aduersarij milite, in conflictu letali vulnere accepto, paulo post moritur, multis simul ex vtraq; parte Germanorum milibus deletis; cum illi ipsi inter se infestissimis signis concurrerent, qui se paulo ante Germanicæ libertatis assertores scripserant. Sed & Albertus magna clade accepta, vix ægre ex conflictu elapsus, postea anno M. D. LIV. omni sua ditione eiectus, post biennium præpropera etiã ipse morte, anno ætatis suæ trigesimo quinto, extinctus est. Sur. anno 1553.

Recolant igitur, verba sunt S. Augustini in simili argumento, *qui legerunt, quam diuturna bella, quam varijs euentibus, quam luctuosis cladibus, à veteribus sint gesta Romanis* (& acatholicis Principibus:) *sicut solet* August. lib. 5. de Ciuit. c. 22.

orbis terrarum velut procellosissimum pelagus varia talium malorum tempestate iactari; & quod nolunt, aliquando fateantur, nec insanis aduersus Deum linguis se interimant, & decipiant imperitos: insultando nimirum Catholicis & tenebras Babylonicas exprobrando, dum eos aduersis nonnihil premi intelligunt.

Quod si Boëmi huius ipsius suæ rebellionis aduersus legitimum Regem susceptæ decursum & euentum accuratius expenderint, multo maiorem inuenient materiam luctus & gemitus, quam gaudij & gratulationis. Tractas nimirum quidem in conspirationis & rebellionis societatem finitimas prouincias; sed pari omnium damno & vastitate; multisq; hominum millibus amissis. Et prô dolor, necdum est finis Vastationis, quia nec initium resipiscentiæ. DEVS misereatur innocentum, & cõuertat nocentes.

Hussus rediuiuus, Hussiten Glocken/ꝛc.

Nec vero quicquam causæ est, cur Zyskam impium olim hominem, & nunc tartari mancipiũ, aut vindicem suæ religionis iactent, aut iniqui belli adiutorem aduocent; quem olim DEVS quidem non secus atque in Israelitas Nabuchodonosorem, aut in Christianos Attilam, non sane Christianæ & Catholicæ Religionis, sed impietatis & scelerum vltorem immisit: qui tamen ipse nunc si adueniret, ac plerosque ex Boëmis coniuratos à suis Hussiq; vestigijs deuios ac nouis hæresibus contaminatos cerneret, eos ipse non minus proprio nunc ense concideret, quam olim Piccardos, ipsosque etiam Hussitas complures, Taboritarum nouæ sectæ ductor ipse contrucidauit. Neq; sane hanc temere præ-

præsumptam noui Regis electionem probaret, qui in simili Boëmorum seditione, repudiato nouo à Pragensibus itidem recepto rege, nullum prorsus habere volebat in Boëmia Regem. *Vide Æneam Sylu. & Florim. Rem. tom. 1. lib. 4.*

Caueant igitur isti, qui Catholicis & Catholicæ religioni cæcitatem Iudaicam tenebrasq; Babylonicas exprobrant, alijsue modis mordaciter insultant; ne Rabsacis impij quondam Assyriorum ardelionis, peccatum contrahant, peccatiq; pœnas exoluant. Nam & ille Orthodoxo Regi, & populo Israelitico ad eum modum insultabat. *Nunquid sine Domini voluntate ascendi ad locũ istum, vt demolirer eum? Dominus dixit mihi, ascende ad terram hanc, & demolire eam, &c. Non vos seducat Ezechias; non enim poterit eruere vos de manu mea. Neq; fiduciam vobis tribuat, super Dominum dicens: Eruens liberabit nos, &c. Quinam illi sunt, in vniuersis dijs terrarum, qui eruerunt regionem suam de manu mea, vt possit eruere Dominus Ierusalẽ de manu mea?* *4. Reg. 18. v. 25. 29. 32. 36.*

Sed res postea longe aliter cecidit, quam blasphemus thraso iactauerat. Misit enim Isaias filius Amos ad Ezechiam dicens: *Hæc dicit Dominus* DEVS *Israel; Quæ deprecatus es me super Sennacherib, Rege Assyriorum, audiui. Iste est sermo, quẽ locutus est Dominus de eo: Spreuit te, & subsannauit te, Virgo filia Sion; post tergum tuum caput mouit, filia Ierusalem. Cui exprobrasti? & quẽ blasphemasti? contra quem extulisti vocem tuam, & eleuasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel. Per manum seruorum tuorum exprobrasti Domino, &c. Quamobrem hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum: Non ingredietur vrbem hanc, &c. per viam, qua venit reuertetur, &c. protegamq; vrbem hanc, & saluabo eam propter me, &c.* *4. Reg. 19. vers. 20.*

Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinq; millia. Cumq; diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum; & recedens abijt, & reuersus est Sennacherib Rex Assyriorum, & mansit in Niniue. Cumq; adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramelech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio.

Hæc iusta pœna blasphemæ arrogantiæ fuit, quam tamen aduersarijs minime exopto; sed illud potius vt conuertantur & viuant; & ab impijs & blasphemis vocibus abstineant; quia etiamnum DEVS est in Israel, cui Ecclesia vera cordi est; cuiusque interitu frustra ipsi pacem sperant. Viuet Ecclesia Catholica, & vigebit etiam in posterum vsque in finem mundi: spes autem impiorum peribit.

CAPVT II.

Doctrinam Ecclesiæ Catholicæ fingi quidē & componi non posse, ad vota hostium; nec tamen esse causam, cur studio pacis sit immutanda; quando seditiosa minimè est, sed pacifica.

Vid. Euagrium lib. 3. cap. 14. & 30.

INuenias etiam hodie, qui Zenonis Isauri quondam Imperatoris, infelicis memoriæ, (vt de Constantio Ariano Imp. taceam) & pacificantium vestigia malè tuta secuti, fidei doctrinam tempori conformandam, omniaque pacis studio

studio posthabenda rati, illud solum præ oculis habent, vt aliquam pacis & concordiæ formulam inter tam varias Religionũ professiones sanciant, ipsasq; inter se Religiones diuersas, velut in mortario contusas & comminutas, in vnam quandam quasi massam confundant. Fecerunt hoc non ita pridem Boëmi Vtraquistæ, qui odio religionis Catholicæ, diuersissimas sectas Piccardicam, Hussiticam, Caluinianam, Lutheranam pallio Confessionis Boëmicæ contectas in vnam massam Religionis, quam *Vtraquisticam* vocant, confuderunt. Conatur hoc idem efficere ac persuadere in suo PseudoIrenico Dauid Paræus Caluinista, Haidelbergensis Præco. Sed hoc malè pacificantium studium semper exosum habuit vera Ecclesia, quæ pro vnâ etiam phrasi, pro vnâ voce, pro syllabâ etiam & litera vnâ, si quid eorũ fidem concerneret, non secus ac pro fide ipsâ Vniuersim acriter pugnauit; probè gnara, si vel in re minima DEI reuelãtis authoritas, quâ fides etiam rerum minimarum nititur, conuellatur, nec in maximis quidem saluam & inuiolatam stare posse. *Vnus* nimirum est *Dominus, vna fides, vnum baptisma,* vna & eadem omnium credendorum ratio; quam si vel semel vllâ in re conuulseris, totum fidei fundamentum, totamq; adeò fidem conuellas & subuertas necesse est: ita vt etsi quidem cæteros adhuc articulos credas, fide tamen tantùm humanâ, non diuinâ & saluificâ, cuius fundamentum subruisti, credas necesse sit. Quare etiam iuxta Apostoli præceptum, semper ab Ecclesiâ *anathema* dictum est ei, qui aliud quidquam, *præterquam quod acceperat, euangelizasset.*

Ephes. 4. v. 5.

Gal. 1. v. 8. 9.

Adul-

Cyprian. de Vnit. Eccl. cap. 5.

Adulterari non potest, inquit Cyprianus, *sponsa Christi: incorrupta est, & pudica; vnam domum nouit; vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat; hæc filios regno quos generauit, assignat. Quisquis ab Ecclesia segregatur, adulteræ iungitur; à promissis Ecclesiæ separatur.*

August. lib. de Ver. relig. c. 5.

Et S. Augustinus: *Neq; in confusione paganorum*, inquit, *neq; in purgamentis hæreticorum, neq; in languore schismaticorum, neq; in cæcitate Iudæorum quærenda est Religio; sed apud eos solos, qui Christiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est, integritatis custodes, & recta sectantes.*

Hilarius lib. 2. ad Constantinum.

Et apertè S. Hilarius: *Per speciosum*, inquit, *pacis nomen in vnitatem perfidiæ subrepimus, & sub reijciendis nouitatibus, rursus ipsi nouis ad Deum vocibus rebellamus, & sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur, vagi, prodigi, impij, dum & manentia dimittimus, & accepta perdimus, & irreligiosa præsumimus.*

Item S. Athanasius: *Quicunq; vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisq; integram inuiolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit.* Nec immeritò Zeno Imperator ille, ex morbo repentino pro mortuo habitus, viuus sepultus est; qui cum viueret, virus mortemque hæresis Catholici nominis professione occultauit; vt ita pro cadauere viuus haberetur, qui pro viuente & Catholico, hæreticus ipse, ac Ecclesiæ mortuus, haberi voluit.

Vide Baron. Anno 491.

Neq; verò Aduersarij ipsi, veri & synceri Lutherani, & Caluinistæ; vllã inter se quoad religionem; aut cum alijs sectis consociationem optant, vel admittunt. Certè quanto odio Lutherus non

Vide Lutheri literas Anni 1530. ad Ionam, ad Philippum, & eiusdem Acta An: 45.

Catho-

Catholicos ſolum, ſed & Caluiniſtas perpetuo inſectatus ſit, quamq; ab eo fuerit aliena omnis cum Aduerſarijs in Religione conſenſio vel conſpiratio, ex eius libris patet. Cuius etiam hæc vltima proteſtatio contra omnes Sacramentarios exſtat: *Ego*, inquit, *qui alterum pedem iam in ſepulchro habeo, hoc teſtimonium atq; gloriationem hanc ad tribunal Domini ac liberatoris mei Ieſu Chriſti perferam, quòd fanaticos & hoſtes Sacramenti, Carolſtadium, Zwinglium, Oecolampadium, Stenckfeldium, eorumque diſcipulos Tiguri, aut vbicunque tandem ſint loco, toto pectore damnarim atque vitarim.*

Neq; malè de hâc re, ex mente Lutheri, Chriſtophorus Irenæus Lutheranus Miniſter: *Quod ad verã & puram*, inquit, *doctrinam fidei attinet, neceſſe eſt, vt nec punctulum impuritatis & falſitatis ſit admixtum; ſicut in aliquâ columbâ: hic locum nullum habet patientia, nec conniuentia, nec amor. Quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit, inquit Paulus, vel vti loquitur Lutherus ad Gal. 4. Modicus error in Theologiâ totam euertit Theologiam; hoc eſt, paruus error in doctrinâ Chriſtianâ, corrũpit, vel peruertit totam doctrinam Chriſtianam; ſiue, quantumuis aliquis in cæteris articulis rectus & purus eſſe velit; poteſt tamen vel in vnicâ hæreſi, ſeu vnico falſato articulo, ignem infernalem abunde ſatis vorare.* Et inferiùs concludit his verbis: *Maledicta ſit Charitas & concordia, propter quam conſeruandam periclitatur verbum Dei.*

M. Chriſtoph. Irenæus libr. Germ von dē Wirtelgeiſt im newen Concordibuch fol. G. G. g. 4.

Eodem libro ſub fin.

Sed & paſſim adhuc, aduerſus infidas illas Caluiniſtarum machinationes, in manibus verſatur libellus ille Lutheranorum hoc titulo inſcriptus: **Motiuen vnd Vrſachen/ warumb man mit den Caluiniſten**

nisten in Religions Sachen nicht kan oder soll wider die Papisten für einen Mann stehen. Hoc est: *Rationes & Motiua, ob quæ Lutherani cum Caluinistis in causa Religionis contra Papistas pro vno quasi viro simul stare nec possint, nec debeant.*

Sed nec dudum antea cum Haidelbergenses Caluinistæ libellum Germanicum edidissent, quo Lutheranos in fratres recipiunt, cũ ab illis, vt aiunt, *dissideant in vnâ quæstione de cœnâ Dominicâ, & hæc quæstio saluâ fide in vtramq; partem disputetur*, Lutherani Wittenbergenses opposito libro, pacem apertè repudiant, præfixa hâc primâ capiti inscriptione: *Quod Caluinistica doctrina multis horrendisq; erroribus & abominationibus scateat*; palàm protestati, nihil sibi & paci in Religione cum Caluinistis commune esse posse; addunt alij, à Catholicis minus, quam à Caluinistis se dissentire, vt cap. 6. dicetur.

Quæ causa etiam est, cur Catholici nec cum Hussitis, nec cum Pickarditis, nec cum Lutheranis, nec cum Caluinistis, aut Zvvinglianis, nec cum Schvvenckfeldianis, aut Anabaptistis, aut vllis eorum, qui se *Vtraquistas* vocant, vllum Syncretismũ, vllamúe Religionis consociationem inire possint; nec vllo modo suam doctrinam ad eorum vota conformare.

Posset quidem Romani Pontificis authoritate, iustis ex causis, & secluso omni errore, etiam laicis communicantibus, aut certô locô, certóue anni die, aut etiam vniuersim, sacri calicis vsus concedi. Sic enim & vetus Ecclesiæ praxis habuit; & recens etiam Concilium Tridentinum rem omnem ad sum-

Concil. Trid. sess. 23. in fin.

summi Pontificis iudicium retulit his verbis: *Cum sacrosancta Synodus superiori sessione duos articulos alias propositos, & tum nondum discussos, videlicet; An rationes, quib⁹ sancta Ecclesia Catholica adducta fuit, vt cõmunicaret Laicos, atq; etiam nõ celebrãtes Sacerdotes sub vnâ panis specie, ita sint retinenda, vt nullâ ratione calicis vsus cuiquã sit permittendus: & An, si honestis, & Christianæ Charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi vel regno calicis vsus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, & quænam illæ sint, in aliud tempus oblatâ sibi occasione examinandos, atq; definiendos reseruauerit; nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens decreuit, integrum negotium ad sanctissimum Dominum nostrum esse referendum: prout præsenti decreto refert, qui pro suâ singulari prudentiâ id efficiat, quod vtile Reip. Christianæ & salutare petentibus vsum Calicis fore iudicauerit.*
Attamen etiã si vel Vniuerso Orbe calicis vsum fidelibus liberũ permitteret Summus Pontifex eaq; de causâ etiam à Catholicis, eandem nihilominùs fidem semper & religionem constanter professis, cæterarum religionum aut sectarum superiùs numeratarum asseclæ *Vtraquistarum* nomine discerni non possent; non tamen idcirco in vnius fidei & religionis communione cũ Vtraquistis modernis vllatenùs conspirare possent Catholici, quando nõ minùs, quàm antea, in ipsâ credendi formulâ ab ijs omnibus necessariò dissentiret.

Ex quo euidens etiam est, *Vtraquistarum* nomine non vnam certam aliquam Religionis, aut fidei formulam, sed complures etiam inter se alias pugnantes, significari & comprehendi, quando in arbitrio

arbitrio Ecclesiæ Catholicæ situm est, vt saluâ suâ fide & religione, communionem sub vtrâque specie, ipso vsu vniuersim amplectatur; quo facto iam quidem Vtraquistæ Catholicos à communione eiusdem nominis excludere non possent; excludendi nihilominus ipsi, non minùs, quàm antea, à Catholicæ Religionis communione; quia ritum quidem eundem, sed fidem tam inter se, quam à Catholicis diuersam consectarentur.

Cæterũ quàm vera & solidâ ratione ac fundamento nitatur vniuersa Ecclesiæ Catholicæ fides, fideiq; doctrina, ob quam etiam extremam potiùs sanguinis guttam fundere, quàm in eâ quicquam immutare, Deo adiuuante, parata est, non vno modo, sed sæpiùs toti orbi demonstratum est; nec opus est hoc loco quicquam retractare. Habemus nimirum Imperatorum Christianorum & summi Magistratus politici suffragium; habemus definitionem & iudicium expressum Concilij generalis, dudum, & ab initio vtrimq; desiderati, ad quod ipsi etiam Aduersarij liberalissimo & securissimo saluæ fidei conductu sæpiùs, sed frustrà fuère inuitati; habemus conspirationem in omnibus ferè controuersis articulis Ecclesiæ Græcæ, frustra à Lutheranis Doctoribus ad consensum sollicitatæ, habemus præiudicium omnium Academiarum, omniumq; virorum doctissimorum è Christianitate, quotquot annis plus mille vspiàm Lutheri ætatem antecesserunt: habemus decreta SS. Patrum, Conciliorumq; veterum: habemus consensum tot seculorum: habemus approbationem Sanctorum, tam

in

in cœlis regnantium, quàm in terris viuentium: habemus sacram scripturam, non quidem proprio & priuato iudicio, sed juxta regulam ac mentem SS. Patrum ac veteris Ecclesiæ, ipsiusq; adeò Spiritus sancti, quam Deus Ecclesiæ eiusq; Doctoribus vniuersim promisit, explicatam: habemus deniq; Deum ipsum, nostram fidem non solùm antiquis, sed etiam nouis miraculis quotidiè contestantem.

Scripti sunt interim, & typis publicis editi extant, pro defensione & explicatione eiusdem Catholicæ doctrinæ, tot, tamq; præstantes & solidi libri complures, etiam hactenus ab Aduersarijs non refutati; Multis è contrario etiam aduersariorum scriptis & libris frustra impugnata fuit eadem Ecclesia Catholica: Celebrata sunt etiam sæpiùs inter vtramq; partem colloquia & disputationes publicæ, aduersarijs coram etiam suam causam studiosè agentibus; nec tamen vel pilus, vt ita dicam, aut apex vnus veteri fidei veritatiq; Catholicæ Ecclesiæ abstrahi vel adimi potuit: cum tamen interim Lutherana Religio, ac præsertim ea, quæ Augustanâ Confessione explicatur, passim magnis decrementis interierit: parati sunt insuper Catholici, etiamnum, cuiuis exigenti, pro loco & tempore, fidei suæ rationem ore & calamo, publicè priuatimque reddere; vt nihil planè ab Ecclesiâ Catholicâ desiderari possit amplius, quod ad veterem fidem iurè tuendam comprobandamq; abundè non præstiterit, aut præstare etiam posthac parata non sit; quodq; ad Religionis concordiam, optatissimamq; & solidam pacem in Imperio constituendam, sit

opportunum: Nisi quis ab eâ petat, vt de suâ fide & auitâ Religione, tot argumentis comprobatâ, tot signis contestatâ, tantâ authoritate roboratâ, etiam ipsa longissimi temporis præscriptione, & vsu actualiq; possessione meliori, decedat; quod, vti dictum, ab eâ in æternum sperandum minimè est: quia immobilis petra est; quæ nutare in fidei confessione, aut mutare nil potest; columna est; & firmamentum veritatis; quæ nulli errori cedere potest; sed cui nouellus error seu persuasio meritò concedere debet. Pro hâc tot millia Martyrũ sanguinem fuderunt: in hâc tot Sanctorum Myriades coronatæ; per hanc Maiores nostri tantam nominis gloriam, omnem in terris felicitatem, ipsiusq; etiam Romani Imperij Maiestatem consecuti sunt; vt frustra sit, quisquis pacis causâ vllam in Ecclesiâ Catholicâ fidei nouationem quærit, aut sperat. Valere hic debet, quod Lutherus olim contra Sacramentarios, pronuntiauit: *Nam tales, inquit, generales articuli, recepti in totâ Ecclesiâ, satis auditi sunt; satis excussi, approbati; satis firmati per Scripturam, per virtutes & miracula; per sanguinem Martyrũ; per scripta & confessionem totius Ecclesiæ. Nec vllo modo ferendus est vllus sapientulus, qui illos reuocare velit in dubium.*

Luth. enarrat. in Psalm. 82. tom. 3. VVit. fol. 488.

Sed quia tamẽ Aduersarij nonnunquam; tum in Iesuitis, tum in alijs viris Catholicis, quædam doctrinæ capita ciuilem societatem & conuictum spectantia, non solùm propria alicuius personæ, (de quibus mihi hoc loco nulla disputatio est) sed communia totius Ecclesiæ, velut seditiosa, aut certè publicæ paci non benè consona carpunt, percurram

curram & recensebo ea hoc loco breuiter; vt vel hinc etiam intelligant, nullam Catholicos pacis turbatæ culpam sustinere; nec per eos stare, quo minus pax firma & solida in Imperio constituatur; quando palam erit, nihil Catholicos in hoc genere docere, quod Iuri Diuino, & humano non sit consentaneum, ipsisq; etiam Aduersarijs, solâ fere Religionis diuersitate exceptâ, commune non sit.

Primum est, quod Catholica Ecclesia docet, hæreticos pertinaces (sine pertinaciâ enim nemo propriè hæreticus est, vt inferiùs dicetur) iure etiã capitis supplicio plecti posse. Trahunt hoc in inuidiam omnes penè Scriptores Acatholici; quasi hoc ipso dogmate Ecclesia Catholica violatæ pacificationis, Magnâ authoritate & compromissionis fide in Imperio constitutæ, rea sit; quod tamẽ à vero alienissimum est. Quando enim ita docent Catholici Doctores, ex mente ipsius Ecclesiæ; intelligunt, quod in omnibus eiusmodi propositionibus indefinitis rei alicuius honestatem asserentibus, vsitatissimum est, id verum habere, *per se loquendo*; & vbi nulla peculiaria pacta, & conuenta promissæ securitatis, obstant: quod Scriptores Catholici subinde etiã expresè addunt; alij ob eam ipsam causam non addunt, quia per se cunctis liquere intelligunt. Itaq; cum in Imperio diuersis quibusdam Religionibus securitas, publicis pactis adpromissa sit, nemo eam Catholicorum doctrinam ad pacificationis initæ violationem iurè contorqueat; idq; eò minùs, quod inauditum sit, ab vllo Catholicorum Principum seu Ecclesiasticorum, siue sæcula-

rium

rum, religionis toleratæ nomine, vlli intra præscriptos terminos sese continenti, quidquam molestiæ fuisse exhibitum; nedum vllum Acatholicũ statum in suâ ditione fuisse turbatum.

Habent Principes & Status Acatholici in suis ditionibus plenum & liberum, minimeq; impeditum Ius, suas ditiones suo arbitratu, intra certos & præscriptos ipsis imperialib. legibus terminos, moderandi regendique; nemo illos prohibet: habent etiam priuati omnes Augustanam Confessionem professi liberum etiam per Catholicorum ditiones commeatum; nemo obstat: At verò vt Principes & status Imperij in suis ditionibus alterius religionis exercitium impunè permittant, aut diuersam religionem professis Ius Ciuitatis concedant, vel in suis ditionibus constantes incolas retineant, id nec leges & conuentiones Imperiales postulant; neq; pars aduersa in suis ditionibus obseruat, vt inferius fusius dicetur. Nihil igitur ab eâ doctrinâ sibi timere debent Aduersarij, ne contra Imperij leges lædantur, modò intra leges Imperij sese ipsi contineant.

Aliàs vbi pacta & conuenta non obstant, hæreticos, per se, etiam mortis supplicio iurè affici, indicat Scriptura sacra; quæ hæreticos *lupis, furibus, & latronibus*; hæresin autem *cancri* morbo comparat, vix nisi ferro medicabili: Idem docent SS. Patres, ac is ipse imprimis etiam, quem hâc in re nobis Aduersarij obijcere solent, S. Augustinus: Quamuis enim hic anteà hâc de re dubius fuerit, & verò etiã contrarium scripserit; postea tamen, & re accuratius

Matt. 7. & 10. Ioann. 10.V. 8. 2.Tim.2.V,17.

Digitized by Google

tius perpensâ, & præsenti experimento maximi fructus in Ecclesiâ inde consecuti edoctus, apertè scripsit & docuit, rectè etiam mortis metu hæreticos ad Ecclesiæ gremium compelli; capite etiam plectendos, ni resipiscant, & iustis legibus obtemperent. *Quid ergo*, inquit, *agit fraterna dilectio, an dum paucis transitorios ignes metuit caminorũ, dimittet omnes ignibus æternis gehennarum?* Aug. epist. 50. ad Bonif.

Et rursum: *Mirantur*, inquit, *quia commouentur potestates Christianæ aduersus detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo mouerentur? Et quomodo redderent rationem de Imperio suo DEO? Intendat Charitas vestra, quid dicam. Quia pertinet hoc ad reges sæculi Christianos, vt tẽporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam, vnde spiritualiter nati sunt.* Et infrà: *Nam videte qualia faciunt; & qualia patiuntur: occidunt animas, affliguntur in corpore; sempiternas mortes faciunt; & temporales se perpeti conqueruntur.* Aug. tract. 11. in Euang. Ioan.

Et aliô loco: *Quid istis*, inquit, *videtur, vt crimen Idololatriæ putent iustè ab Imperatoribus vindicari; aut si nec hoc volunt, cur in veneficos, rigorem legum exerceri iustè fatentur; in hæreticos autem atq; schismaticos impiâ dissensione nolunt fateri; cum in ijsdem iniquitatis fructibus auctoritate Apostolicâ numerentur? An fortè nec talia potestates illæ humanæ constitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gladium portat; qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis, qui male agunt?* August. lib. 1. cont. epist. Parmen. cap. 10.

His accedunt antiquæ leges veterũ Imperatorum. Certè Imperatores Valentinianus & Martianus, tum alijs seuerissimis pœnis animaduertendũ in hæreticos præcipiunt; tum etiam vltimo supplicio Leg. Quicunq; 8. Cod. de Hæreticis.

 plicio

Digitized by Google

plicio coërcendos statuunt, eos, *qui illicita docere tentauerint*, libros quoq; hæreticorum *incendio concremandos* addiderunt, *vt facinorosæ peruersitatis vestigia flammis combusta depereant.*

Arcadius, Honorius, & Theodoricus ita contra Manichæos & Donatistas hæreticos decernunt: *Manichæos, seu Manichæus, vel Donatistas meritissima seueritate prosequimur. Huic itaq; hominum generi nihil ex moribus, nihil ex legibus commune sit cum cæteris. Ac primum quidem volumus esse publicum crimen; quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam; quos bonorum etiam omnium publicatione prosequimur. Istos quoq; volumus amoueri ab omni liberalitate & successione, quolibet titulo veniente. Præterea non dandi, non emendi, non vendendi, non postremo contrahendi cuiquam conuicto relinquimus facultatem, &c.*

Leg. 4. Cod. de Heret.

Deniq; vt cætera prætermittam, ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano non solum varij omnis generis hæretici ex Romano proscribuntur Imperio, sed simul etiam in Manichæos vltimum supplicium decernitur. Ita enim lex habet: *Ariani & Macedoniani, Pneumatomachi, Apollinariani, Nouatiani, seu Sabatiani, Eunomiani, Tetraditæ, seu Tesserascadecatitæ* (hoc est Quartadecimani) *Valentiniani, Sardiani, Papianistæ, Montanistæ seu Priscillianistæ, vel Phryges, vel Pepuzitæ, Marcionitæ, Borboritæ, Messaliani, Euchitæ, siue Enthasiastæ, Donatistæ, Audiani, Hydroparastatæ, Tascodrogitæ, Batrachitæ, Hermogeniani, Photiniani, Pauliniani, Marcelliani, Ophitæ, Encratitæ, Carpocratitæ, Saccaphori, & qui ad imam vsq; scelerum nequitiam peruenerunt Manichæi, nunquam in Romanum locum conue-*

Leg. 5. Cod. de Heret.

uiendi manendiq; habeant facultatem. Manichæis etiam de ciuitatibus pellendis, & vltimo supplicio tradendis: quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis etiam elementis fiat iniuria.

Sed & licet ex Aduersarijs quidam, veteres Donatistas, Hussium ac Lutherum secuti, sentiant, hæreticos alijs quidem pœnis rectè mulctari; attamen Mortis supplicio affici non posse; illi tamen, quos nunc potissimum aduersarios habemus, Caluinum secuti, à Catholicis hac in parte non dissentiunt. Nam vt taceam multa millia Catholicorum ab ijs in Anglia & Gallia, religionis causa, crudeliter trucidata; Caluinus ipse Michaëlem Seruetum tanquam hæreticum vltimo supplicio publicè afficiendum curauit; idq; factum etiam ipse edito postea libello defendit; in quo demonstrat, licitum esse in hæreticos gladio animaduertere. Magistratus quoq; Bernensis Valentinum Gentilem, ob hæresim, publicè plectendum mandauit; idq; iure factum Benedictus Aretius postea scripto edito defendit. Deniq; idipsum ex instituto docet & propugnat Theodorus Beza in libro de hæreticis à Magistratu puniendis: vt frustra hi in Catholicis eam doctrinam culpent, quam in seipsis laudant.

Donatistæ apud August. epist. 50. Huss. in Concil. Constant. Sess. 15. art. 14. Luther. apud Roffen. art. 33.

Aretius libello de Supplicio Valentini.

Secundum eiusdem doctrinæ caput est: Neminem quidem iniuria lacessendum; nulli quod suũ est, per vim auferendum; nemini iniustè nocumẽtum vllum inferendum; sed vim tamen iniustam, iure defensionis, ac seruato moderamine inculpatæ tutelæ, etiã vi opposita iure repelli. Docet hoc Iura Canonica, Ciuilia, docent ipsi Aduersarij; non ergo

Sleidanus lib. 8. Anno 1531.

possunt cupare. Certe Sleidanus fatetur, Lutherum, quamuis id antea negasset, postea tamen *à Iurisperitis edoctum*, suum hac in re errorem retractasse; idq; ipsum in conuentu Smalcaldico in praxin fuisse deductũ. Proba sane accommodatione, si probaret Aduersarius, vllam tunc suos à Principibus Catholicis vim iniustam fuisse perpessos. Quam autem impudenter & perfidè Ministri quidam Caluiniani hoc axiomate abutantur, ad publicam Imperij pacem turbandam, eiusq; pacta & conuenta violanda, atq; ipsos etiam tam Lutheranos, quàm Catholicos Principes seditionibus subditorum opprimendos; quasi videlicet ideo fas sit, subditis Caluinistis aduersus Principes suos rebellare, si quando illi in suis ditionibus, Caluinisticæ religionis Professione & exercitio interdicto, iuxta Imperij leges & conuenta, ad Catholicæ aut Lutheranæ Religionis normam diuinum cultum instituunt & reforment, dicetur cap. 6.

Tertium est: Pacta quidem ob conuenta, per se loquendo, esse seruanda, nec promissi fidem negligendam: attamen regulam hanc habere iustas quasdam exceptiones; Prima est, quando res ipsa promissa illicita est; ac sine peccato seruari non potest. Tunc enim ingenuè fatemur, promissum, etiam iuramento firmatum, vim nullam habere. Docent hoc sancti Patres, & ex ijs Sacri Canones: Quia *iuramentum non est vinculum iniquitatis.* Et: *In promissis malis*, inquit alius Canon, *rescinde fidem, in turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti ne facias*; Et rursum: *Non est obseruandum iuramentum, quo malum*

Can. Inter cætera.
Can. In malis.
Can. Non est. causa 22. q. 4.

lum incautè promittitur; Veluti si quispiam adulteræ perpetuam cum ea permanendi fidem polliceatur; tolerabilius est enim, non implere Sacramentum, quam permanere in stupri flagitio. Denique Regula iuris habet: *In malis promissis fidem non expedit obseruari.* Reg. 96. in 6.

Docet etiã Ius ciuile: *Pacta,* inquit Imperator, *quæ contra leges constitutionesq́ue, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati iuris est.* Docet etiam & conuincit ipsa ratio naturalis. Quod enim illicitum est, omnino vitandum est: Ergò fieri nulla ratione potest, vt ad hoc præstandum seu faciendum, promisso, voto, iuramento, vlloue alio vinculo obligemur. Alias enim res eadem simul & facienda esset, quia promissa; & non facienda, quia illicita. Qua de causa rectè S. Ambrosius: *Est etiã contra officium nonnunquam, soluere promissum, iuramentum custodire: Vt Herodes qui iurauit, quoniam quidquid petitum esset, daret filiæ Herodiadis; & necem Ioannis præstitit, ne promissum negaret.* Nec verò sanus est quisquam, qui hoc Herodis factum comprobet. Leg. 6. Cod. de Pactis. Ambros. de offic. lib. 1. cap. 50. & can. Est etiam cit. causa 22. q. 4.

Sed ipsi etiam Aduersarij Caluinistæ hanc doctrinam vniuersim non negant; quidquid nonnunquam ad particularem materiam applicatum, quasi de perfidia suggillent; nimirum quia aduersaria fide imbuti, *bonum malum, & malum bonum dicunt; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Isai 5. v. 20.

Secunda exceptio est. Si pars altera cui fides data, prior fidem fallat. Tunc enim valet vulgare illud omnium ore decantatum: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem;* & quod regula Iuris habet: *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo seruari, cui fidem à se præstitam seruare recusat.* Reg. 75. in 6.

Tertia exceptio est, vtroq; Iure firmata, a si quando promissa & conuenta per vim iniustam extorta, quamuis simul etiam iuramento firmata, legitimi Iudicis sententia in irritum reuocentur. Optime de hac re S. Thomas, *b* quem cæteri Theologi sequuntur: *In iuramento*, inquit, *quod quis coactus facit, duplex est obligatio. Vna quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit; & talis obligatio tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissum non seruetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, vt impleat, quod per nomen eius promisit; & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ* (absq; sententia nimirum Iudicis) *quia magis debet damnum temporale sustinere, quam iuramentum violare. Potest tamen repetere in iudicio, quod soluit, vel prælato denuntiare, non obstante quod contrarium iurauit; quia tale iuramentum vergeret in deteriorem exitum, esset enim contra iustitiam publicam.* Et ratio huius doctrinæ, quam nec Aduersarij in sua causa repudiant, est manifesta. Tum quia iuxta regulam vtriusq; Iuris, *Vis & fraus nemini patrocinari debet.* Tum quia qui vim intulit, tenetur ex Iustitiæ obligatione, vim amoliri, eumque quem læsit in suam pristinam libertatem restituere; non minus quã id, quod per vim iniustam extorsit, etiam ante sententiam Iudicis; Ergo tenetur remittere promissum & iuramentum vi extortum, quod nisi faciat, quid ni aut læsus ipse (sicubi iuramentum non obstet) aut certè superior vtriusq; læsum suæ libertati vindicabit? Quare etiam non desunt graues authores, c qui docent, eiusmodi pacta ab altera parte vi extorta, si iuramento firma-

a Cap. Ad audientiam, de ijs, quæ vi. Cap. debitores de Iureiurando. Leg. metum 9. leg. si mulier 25. & qui in carcerem 22. ff. quod metus causa. leg. 1. Cod. de rescind. Vendit.

b S. Thom. 22. q. 89. a. 7. ad 3.

c Sot. lib. 6. de Iustit. q. 1. a. 4. & lib. 8. q. 8.

to firmata non sint, in foro conscientiæ ipso facto, etiam ante sententiam iudicis, irrita esse, de quo tamen hic non disputamus.

Quarta exceptio est, si quando priuilegijs semel à Principe concessis subditi turpiter fuerint abusi, aut alias aduersus Rempub. aut Maiestatem principis grauiter deliquerint; tunc enim reuocari possunt à principe priuilegia; nec eorum promissis ipse amplius tenetur. Quod explorati itidē iuris est. *Priuilegium*, inquit Canon, d *omnino meretur amittere, qui permissâ sibi abutitur potestate.* Et similiter S. Augustinus: e *Iudicio legum*, inquit, *iure ab obtenta dignitate deijcitur; qui priuilegio sibi concesso abutitur.* Et alius Canon: f *Sic decet fidem SS. Patrum in Ecclesia seruari Catholica, vt quod habuit amittat, qui improbabili temeritate, quod non accepit assumserit.*

Has autem exceptiones cum negare non possint Aduersarij, non desinunt tamen etiam Catholicos incusare, quasi aut fidem non seruent & promissa, aut non seruanda doceant; quoties etiam ob aliquam harum causarum promissa non præstant: cum tamen ipsi vicissim nimis quam libere à præstandis iuramentis se suosq; exoluant. Non iam de præsenti Boëmorum rebellione, eorumq; coniuratis agam; quos fidei multipliciter violatæ Cæsar ipse in suo Rescripto inferius cap. 6. referendo reos agit: Vnum tantummodo vetus, & ab ipsorū met aduersariorū historico Sleidano litteris proditum documentum referam.

Cum fœderati Principes Acatholici ex Tyroli reduces essent, mox Augustæ publicas litteras ex-

a. 7. ad 3. Carbo q. 46. de restit. Palat. lib. 4. contract. c. 9. Molin. tom. 2. de Iustit. d. 38. 6. 3a V. Contractus num. 7. & fere Sanchez lib. 4. de matrim. disp. 9. in fin. post Bartholum. comm. com. Iurisperit. & Azor. lib. 1. cap. 11. q. 15.

d Causa 55. q. 3. can. 63. & l. Iudaei. Cod. de Iudais.

e *August. serm. 247.*

f Causa 25. q. 2. can. 22.

Sleidanus lib. 24.

pediunt, quibus proscriptos à Carolo Cæsare Verbi ministros, & Didascalos seditiosos, qui etiam iureiurando se obstrinxerant, se in fines Imperij non reuersuros, ita reuocarunt ac restituerunt, vt plusquam Pontificia potestate, eos sine dubitatione à Iuramento Cæsari præstito palàm ac sollenniter absoluerint; his ipsis verbis: *Nec enim,* inquiunt, *hostes veritatis* (Cæsarem Carolum & Ferdinandum Regem intelligunt) *pios modò Doctores in vincula coniecerunt, verùm in hac etiam Vrbe per iusiurandum adegerunt eos, repentè ac magna quadam inhumanitate, vt extra fines Imperij decederent. Et quanquam iusiurandum illud cumprimis impium est ideoq; nullo iure vel æquitate nititur; tamen ne quis calumniæ locus esset, illos ipsos Ecclesiæ ministros atq; Ludimagistros ab Aduersarijs eiectos reuocauimus; quoniam id officij nostri esse putamus. Itaq; illos omnes, quicunq; sunt ad hunc modum exterminati, sicut diximus, ab eo, cui per vim contra leges adstricti fuerant, iurisiurandi vinculo prorsus expedimus, ac libertati restituimus: & iniungimus, vt non solum in hac Vrbe, verùm alijs etiam in locis, prout ipsorum est vocatio, Verbum Dei purè, iuxtaq; Confessionem hinc olim exhibitam, doceant, & rectè piéq; iuuentutem in litteris erudiant, vestro confisi patrocinio atq; tutela. Mandamus autem, ne quis illos, quasi contra fidem datam faciant, vllo verbo vel iniuria perstringat.* Hactenus principum Acatholicorum rescriptum.

Vbi hæc notanda. Primum, Aduersarios non tantum sibi sumere potestatem relaxandi Iuramẽta suorum subditorum; sed etiam aliorum, in quos ipsi ius nullum habent. Secundò, relaxare etiam promissa, ac iuramẽta præstita, non tantum æqualibus

libus & inferioribus, ſed etiã legitimo ac ſupremo tam ſuo, quam eorum qui iurauerant Magiſtratui: idq; contra apertam & teſtatam eiuſdem ſupremi Magiſtratus voluntatem. Tertio, declarare, non ſolum impium iuramentum nullius eſſe roboris; ſed etiam iuramentum illud, quo miniſter aliquis Verbi Imperij ſe finibus exceſſurum, nec regreſſurum iurauerit, eſſe impium, & inualidum. Quare ſecundum nouam hanc Theologiam, non licebat pijs illis Prædicantibus impium illud iuramentum nec præſtare, nec ſeruare. Et quomodo ergo pij erant, qui impium adeo edebant ac ſeruabant iuramentum? aut quomodo impium erat iuramẽtum, cuius materia ab ipſo etiã Chriſto præſcripta fuerat; *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam?* Matt,10.v.23.
Quartò deniq; notandũ, poſſe planè, iuxtà Aduerſarios, à Iuramento per vim extorto expediri & abſolui iurantem; vbi ſi adderent, per vim iniuſtam extorto; & quidem ab eo cui Iuramẽtum præſtitũ eſt, aut vtriuſq; ſuperiori, non autem ab alio inferiori, tunc id ſolum dicerent, quod nos ipſi etiam circa fidem datam integrum nobis eſſe volumus. Atqui iam quando nec vim iuſtam, nec Iuramenta ſuperioribus, nec à non ſubditis pręſtita excipiunt; ſed ex ęquo ſibi poteſtatem vendicant diſſoluendi omnia, perſpicuum eſt, quantò longius ipſi in Iuramentis diſſoluendis, quam Catholici, verbo factoque progrediantur.

Ex quibus etiam iudicabit lector, immeritóne, an æquo retorſionis iure ſcripſerit, non Ieſuita aliquis, ſed grauis & veteranus Theologus: *Hi qui ſine fide* Ioan. Melanth. tract. de fide hæret. ſeruanda.

audit

fide sunt, audent de sua fidelitate homines apertè perfidissimi gloriari, & omnem perfidiæ inuidiam in Catholicos retorquere; quiue in pace & fœdere viuere nesciunt, ex suo prauo ingenio, omnes de perfidia suspectos habent; & quia magno odio, multaque impietate Ecclesiam Catholicam impugnant, ideo malitiosè mentiri non erubescunt, nostram (Catholicorum) *doctrinam esse, hæreticis nullam fidem esse seruandam.* Sed nunc cætera ciuilis doctrinæ capita in Ecclesia Catholica recepta prosequamur.

Quartum igitur eiusdem doctrinæ caput est: Præceptis quidem & legibus, Magistratus etiam politici, obtemperandum, iuxta Apostoli monitũ; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: sed nõ nisi honesta præcipientibus: alias enim obseruandum aliud Apostolorum decretum; *Obedire oportet DEO magis, quam hominibus.* Docet igitur hoc Scriptura; docent ipsi aduersarij Boëmi in præsenti causa, & repetunt etiam non suo loco. Non ergo iure culpare possunt: vtcunq; in reb⁹ ad conscientiam spectantibus, vix æquo animo ferre possint, vt Catholici suæ religionis curam habeant, ac ex eius norma honesti rationem metiantur: cum tamen ipsi, si vel minimum tangi suam religionem sentiant, perpetuo aduersus legitima etiam superiorum mandata conscientiæ prætextum obtendant; quasi vero soli ipsi conscientiæ rationem habeant; Catholici nullam habere debeant, vt iam alibi etiam obseruatum.

Quintum est. Etiam tributa iusta Regibus ac Principibus pendenda; sed ab ijs, qui iure exempti non sunt. Antiquissimum autem pariter & æquissimum,

Rom. 13. v. 1.

Act. 5. v. 29.

Apol. 2. Boëm. pag. 24. 28. 70. & 109.

Apol. Soc. auc. cont. Boëm. cap. 2. & 10.

Vide Adam Tann. Defens. Eccles. libert. lib. duos.

ſimum, eſſe ius immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ, alibi demonſtratum eſt. Nec habent aduerſarij quod reponant, præter imperitiam & calumnias. Malè ergo reprehendunt. *Scripto Germ. Jeſuiter Poſte part. pag. 140. & ſeqq.*

Sextum eſt. Curam Eccleſiæ, ac rerum Eccleſiaſticarum, præcipue vero ad religionem & cultũ diuinum ſpectantium, ad Eccleſiæ Prælatos, atque inprimis ad Romanum Pontificem, non quidem velut dominum temporalem, aut politicum totius mundi, ſeu Imperij Chriſtiani; ſed tamen vt Vicarium Chriſti, ſucceſſoremque S. Petri Apoſtoli, in cura & gubernatione totius Eccleſiæ, adeoq; caput ſpirituale, & Paſtorem vniuerſalem, omnium fidelium, totiusq; gregis Dominici ſpectare: ſine cuius proinde conſenſu, publicus religionis ſtatus in Eccleſia immutandus non ſit, & cui in cauſis Religionis & conſcientiæ etiam ipſimet Imperatores, Reges, & Principes Chriſtiani iure ſubiecti ſint. Docet hoc ſcriptura, docet SS. Patres. *Quando à condito mundo auditum eſt*, inquit S. Athanaſius, *iudicium Eccleſiæ ab Imperatore auctoritatem ſuam accepiſſe? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt?* Et rurſum: *Ne te miſceas, Imperator, rebus Eccleſiaſticis: neq; nobis in hoc genere præcipe; ſed potius à nobis diſce. Tibi DEVS Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Id ipſum nuper contra Boemos alibi fuſius demonſtratum eſt. Idem docent Lutherus & Caluinus, qui planè negant, Principi ſeculari fas eſſe, de cauſis religionis decernere. Non ergo hoc iure reprehendunt Aduerſarij. *Matt. 16. v. 18. Ioan. 21. v. 15. Athanaſ. epiſt. ad vit. ſolit. agentes. Apolog. Societ. contra Boëm. cap. 4. Luther. contr. artic. Louan. tom. 2. Caluin. lib. de ſecul. poteſt.*

Septimum eſt. Pacem quidem, quoad fieri poteſt,

test, cum omnibus retinendam, amicitiámque colendam: attamen si vel ipsi etiam propinqui nostri à fide, aut ab honesto nos auocent, dimittendos, eorumq; consuetudini & obsequio renunciandū. Docet hoc Christus ipse Dominus in Scriptura sacra. *Nolite*, inquit, *arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.* Inimici nimirum sunt, quia dum auertunt à fide Christi, & debito diuinæ legis obsequio, aut etiam à perfectiore statu, ad quem DEVS vocauit; iam non amant, nec bene volunt nobis, quod amici est; sed male, quod odientis est inimici; DEO ipsi nequaquam in amore aut obsequio præferendi. Vnde mox ibidem etiā subiungit Christus: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Et quamuis tales nihilominus amemus vt homines, honesto tamen etiam odio prosequi iubemur, qua malos, non personam ipsam detestando, sed vitium. In quem modum præcipit idem Saluator alio in loco: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et scilicet hæc nobis ex Euangelio Christi eradenda erunt, ne delicatis, imo crassis & impijs quibusdam calumniatoribus stomachum mouisse, pacisque & innatæ pietatis fœdera rupisse videamur, si ad eam præceptionum normam, doctrinā moresq; nostros conformemus.

Matt. 10. v. 34.

Matt. 10. v. 37.

Scripto Germ. Jesuiter Post. *part. pag. 124. & seqq. quod pag. 90. tribuitur alicui discipulo Theologiæ Argentorati.*

Audi-

Audiãt isti, quod hac de re S. Hieronymus scripsit: *Ne quis pietatem religioni anteferret, subiecit dicens: Qui amat patrem, aut matrem, plusquam me: & in Cantico legimus Canticorum: Ordinate in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est. Ama post DEVM, patrem; ama matrem, ama filios. Si autem necessitas venerit, vt amor parentum ac filiorum DEI amori comparetur, vt non possit vtrunq; seruari, odium in suos, pietas in DEVM est.* Hieron. in cap. 10. Matth.

Octauum est: Bellum quidem ex se optabile non esse, sed quoad fieri potest, defugiendum; & vero ex vtraq; parte iustum esse vix posse: attamẽ nec ita vniuersim illicitum, quin certis conditionibus seruatis honestari probariq; possit: Si nimirum in suscipiente adsit auctoritas legitima, causa iusta, & recta intentio. Docet hoc scriptura passim: docent sancti Patres; è quibus optimè S. Augustinus ait: *Non iniuste fieri ab his, qui iustum bellum gerunt; vt nihil homo iustus præcipue cogitare debeat in his rebus, nisi vt iustum bellum suscipiat, cui bellare fas est; non enim omnibus fas est. Cum autem iustum bellum susceperit, vtrum aperta pugna, vtrum insidijs vincat, nihil ad iustitiam interest. Iusta autem bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias; si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbe factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est.* Et alibi: *Quid enim culpatur in bello?* inquit; *An quia moriuntur, quandoq; morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur; quæ plerunq; ita culpãtur, vt etiã* S. Aug. l. 6. qq. in Iosue q. 10. S. August. l. 22. cont. Faustum cap. 74.

iure puniantur. Aduersus violētiam resistentium, siue DEO, siue aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniuntur, vbi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire, iustè ordo ipse constringit. Alioqui Ioannes, cum ad eum baptizandi milites venirent, dicentes; Et nos quid faciemus? responderet eis: arma abijcite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite neminem. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent, non esse homicidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum harum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum.

Luc. 3.

Ad præceptum vero Christi, quo olim Manichæi, & nunc Anabaptistæ, ad bella vniuersim improbanda abutuntur, optime respondet S. Augustinus. *Si autem,* inquit, *propterea putant, non potuisse DEVM bellum gerendum iubere, quia Dominus postea IESVS Christus, Ego, inquit, dico vobis, non resistere aduersus malum. Si quis te percusserit in maxillam tuam dexteram; præbe illi & aliam: intelligant, hanc præparationem non esse in corpore, sed in corde: ibi enim est sanctum cubile virtutis, quæ in illis quoque antiquis iustis nostris Patribus regnauit, &c.* Ita S. Augustinus contra Manichęos hæreticos, vniuersim bellum omne damnantes, olim ex Ecclesiæ Catholicæ sensu disputauit; id quod pluribus etiam ibidem Scripturæ sacræ testimonijs & exemplis confirmat. Vnum instar omnium est illud Apostoli de ciuili magistratu loquentis: *DEI minister est, Vindex in iram ei, qui malum agit: ideo enim & tributa præstatis. Ad hoc enim,* inquit ibidem

S. August. ibid. cap. 76.

Rom. 13.

dem S. Augustinus, *tributa præstantur, vt propter bella necessaria militi stipendium præbeatur*. Et in eundem sensum S. Petrus: *Subiecti estote propter DEVM, non modo Regi quasi præcellenti, sed etiam ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum*. S. Aug. loc. cit. 1. Pet. 2.

Sed nec dissentiunt aduersarij: imo plenis buccis, hiante ore, ne dicam, inciuiliter etiam, manibus & pedibus in eandẽ toti eunt sententiam: nisi forte ex ijs, qui quasi religiosiores vniuersim gladij vsum damnant, secundum imperij leges hoc ipso gladio digni. Cæteri quomodo in nobis possunt culpare, quod in se ipsis probant?

Nonum est. Seruatis debitis conditionibus, nullum bellum honestius suscipi, quam pro fide & religione, contra infideles tuenda. Docent hoc exempla Scripturæ sacræ quam plurima; speciatim Moysis, Iosuæ, Gedeonis, Iephte, Dauidis, Machabeorum: quorum princeps ac parens, optimus & bellator, & concionator, etiam verbo docet: *Exclamauit enim Mathathias voce magna in ciuitate dicens: Omnis qui zelum habet legis, statuens testamentũ exeat post me*. Et rursum: *Nunc ergo, O filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum*. Et vero in aduersis non cedendum, vtcunq; hostes interitum exitiumque minentur, plurimis etiam documentis probat: *Abraham*, inquit, *nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est dominus Ægypti. Phinees pater noster zelando zelum*

Num. 25. v. 17. & cap. 31. v. 2. Iosue cap. 5. 6. 8. 9. 10. 11. Iud. 7. 8. 11. lib. 2. Reg. 8. 1. Paralip. 18. lib. 1. Machab. cap. 2. 3. 4. 5. 1. Machab. 2. v. 27. & 50. Ibid. v. 52.

lum DEI, accepit testamentum sacerdotij æterni. *Iesus* (siue Iosue) *dum impleuit verbum, factus est dux in Israel, Caleb dum testificatur in Ecclesia* (animans ad bellum diuinitus condictum contra infideles) *accepit hereditatem: Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in secula. Elias dum zelat zelum legis, receptus est in cœlum. Ananias, & Azarias, & Misael credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum. Et ita cogitate per generationem & generationem: quia omnes, qui sperant in eum, non infirmantur.* Ita Mathathias.

1. Machab. 3. Vers. 58. Sed & Iudas filius, nil à virtute & eloquentia paterna degenerans: *Accingimini,* inquit, *& estote filij potentes, & estote parati in mane, vt pugnetis aduersus nationes has, quæ conuenerunt aduersus nos, disperdere nos & sancta nostra: quoniam melius est nos mori in bello, quã videre mala gentis nostræ & sanctorum. Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, sic fiat.* Et rursum suos ab hostili multitudine territos commilitones erigens: *Facile est,*

1. Machab. 3. Vers. 18. inquit, *concludi multos in manus paucorum: & non est differentia in conspectu DEI cœli liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Ipsi veniunt ad nos in multitudine contumaci & superbia, vt disperdant nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient nos: nos vero pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris; & ipse Dominus conteret eos ante faciem nostram: Vos autem ne timueritis eos.*

Docent idem sancti Patres, è quibus S. Augu-

S. August. l. 22. de Ciuit. cap. 6. stinus: *Scio,* inquit, *in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de Republica, disputari, nullum bellum suscipi à ciuitate optima, nisi aut pro fide, aut pro salute.* Quod si pro fide etiam humana,

humana, quanto magis pro diuina? de qua S. Augustinus ibidem ait: *Salus autem ciuitatis DEI talis est, vt cum fide ac per fidem teneri, vel potius acquiri possit; fide autem perdita ad eam quisq; venire non possit.*

S. Gregorius Pontifex ipse Gennadium Africæ Exarchum, ad compescendum bello hæreticos his verbis, initio eius epistolæ, hortatur: *Sicut Excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ eius omni viuacitate mentis & corporis obuiare, quatenus eius ex vtroq; triumpho magis ac magis enitescat opinio; cum & forensibus bellis aduersarijs Catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, & Ecclesiastica prælia, sicut Bellatores Domini, fortiter dimicatis. Notum est enim, hæreticæ religionis viros, si eis (quod absit) suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognouimus enim eos, contra Ecclesiam Catholicam, Domino eis aduersante, colla subrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum ceruices iugo rectitudinis premat.* S. Gregor. lib. 1, epist. 72.

Idem conuincit ratio: Nam si pro patria, pro libertate, pro vita, pro incolumitate temporali, recte bella suscipiuntur; quanto magis pro æterna salute, quæ sine fide vera esse nō potest? Hinc eos, qui acerrimè & iustissimè pugnant, pro aris & focis dimicare dicimus. Idem pro sua fide faciunt, idem docent aduersarij Caluinistæ: quanto nos ergo rectius, quorum fides ipso etiam antiquitatis & anterioris possessionis iure, ne dicam veritatis, ac rationum pondere, potior est.

Digitized by Google

Quid, quod aliquando bellum adeo honestum est, vt sit etiam necessarium, ac necessario suscipiendum; malum quidem aliquod semper; sed nonnunquã maiori malo præferendum. Docent hoc multa scripturæ exempla, quibus docemur, bella à Moyse, Iosue, alijsq; ducibus Israelis nonnunquã Deo præcipiente fuisse suscepta. Quis autẽ nescit, necessario faciendum, quod à DEO faciendum præcipitur? Docet hoc S. Augustinus: *Sapiens, si se hominem meminit*, inquit, *multo magis dolebit iustorum necessitatem sibi extitisse bellorum: quia nisi iusta essent, ei gerenda non essent; ac per hoc sapienti nulla bella essent. Iniquitas enim partis aduersæ iusta bella ingerit gerenda sapienti.* Audis, *necessitatem* gerendi belli sapienti quidem dolendam, obtingere tamen. Et alio loco: *Belligerare*, inquit Augustinus, *& perdomitis gentibus dilatare regnum, malis videtur felicitas, bonis necessitas.* Et rursum: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, vt liberet DEVS à necessitate, & conseruet in pace.*

S. August. l. 19. de ciuit. cap. 7.

S. Augustin. 4. ciuit. cap. 16.

Epist. 207. ad Bonifacium Comitem.

Idipsum docet ratio Theologica: Nam si hostis fidei populos fideli Principi subditos, sibi suæq; ditioni, ac simul infidelitati subigere tentet, quis dubitat, pij Principis officium esse, si per vires nullo modo possit, populos subiectos simul, ac fidem contra vim iniustam etiam armis tueri? idq; nisi faciat, nec boni viri, nec Principis fidelis officio satisfecisse.

Idem probat ratio politica. Nemo enim est tam vecors, vt existimet, etiamsi de politica solum pace agatur, Principem ab ignauia posse defendi, qui subditorum bona, salutemque temporalem, cum

cum ab hostis iniusta inuasione, ac noxia depopulatione vindicare armis possit, negligat. Idem sentiunt; idem faciunt aduersarij: nisi quos forte Manichæorum, Wicleffi, aut Anabaptistarum fermentum infecerit; pietatem quidem simulans, sed non exhibens: contra quos tamē hoc loco non disputamus. Plura de hæreticorum punitione & libertate religionis promiscuè non permittenda inferius. Vid. cap. 4.

Atq; hæ sunt Catholicæ Eccesiæ belli pacisq;, ac politici conuictus leges, & axiomata: quæ cum non solum ipsius Scripturæ sacræ, sanctorum Patrum testimonijs, ipsaq; ratione naturaliter firmissime comprobentur, sed etiam ab aduersarijs Caluinistis, in hisce quibus vsi fuimus, generalibus terminis, comprobentur; quid quæso est, vnde ipsa quidem per se doctrina Ecclesiæ incusetur, quasi bella ac seditiones pariat, publicamq; pacem perturbet: cum etiam tunc, quando ex Catholicæ Ecclesiæ doctrina bellū necessarium suscipiendū est, ad hoc iusta necessitas cogat, quæ culpam habere non potest. Culpa eius est, qui per iniquitatem iustam belli suscipiendi necessitatem temere ingerit, non qui dolenter acceptat.

Profectò de communibus belli pacisque præceptionibus, nulla nobis admodum cum aduersarijs contentio est; sed de fide ipsa & religione; quā nisi damnarent in nobis aduersarij, nihil haberent, quod in illis politici conuictus legib⁹ improbarēt. Probant nimirum & fatentur, iniustam vim vi iure repelli; sed vim iniustam negant, quando vetera

Ecclesiæ Catholicæ Iura diminutum ire pergunt. Consentiunt facile, promissa rei illicitæ seruanda non esse: sed religionẽ ab Ecclesia Catholica ipsoq; Imperio damnatam approbare ac tueri, rem illicitam negant. Fatentur iniquis legibus magistratus politici obtemperandum non esse; sed suas ipsi leges, de Caluini impia fide sequenda, iniquas esse negant. Non negant, iure quibusdam à tributis pendendis immunitatem concedi: sed Catholicæ Religionis ministris negant. Facile adducuntur, vt aliquod Ecclesię spirituale Caput vel admittant, vel admitti posse consentiant: sic enim & Angli Caluinistæ pro suo Rege pugnant; sed suæ, hoc est acatholicæ fidei ac religionis id esse volunt. Vnde & Romanum Pontificem pro tali recipi posse, fatebatur olim etiam Philippus, *si Euangelium acceptaret.* Agnoscunt facile, nec propinquis ipsis acquiescendum, si à vera fide auertant; sed Catholicam fidem esse veram negant. Fatentur bellum pro vera Religione tuenda licite quondam suscipi & necessario; sed suam, non nostram esse veram, sibi persuadent. Vno verbo, *quoties Catholici*, inquit Erasmus, *moliuntur aliquid pro defensione suæ fidei, seditiosus tumultus est: quoties ipsi faciunt eadem pro suo instituto, sanctissimus est euangelij zelus.*

Philip. in Subscript. articul. Smalcald.

Lib. 31. epist. ad Hedionem,

Nec tamen, quia nos illis fidem nostram probare non possumus; ferre debemus, vt illi cum fide auita, eas ipsas viuendi leges ac præcepta nobis auferant, quas circa suam ipsi nouitiam fidem probant & seruant. Orandus potius DEVS est, vt Spiritus sancti gratiâ & ductu, rerumque ipsarum

momen-

Digitized by Google

momentis accuratius expenſis, non ſolum nobiſcum eaſdem belli paciſq; generales regulas, ſed eandem etiam fidem quandoq; complectantur; quam vel ipſi, vel eorum maiores, non ita pridem deſeruerunt.

CAPVT III.

Catholicos Principes, velut Aduocatos & Defenſores Eccleſiæ, adſtringi ad hæreſes, non minus quam alia ſcelera, in ſuis ditionibus, pro viribus prohibendas, & exterminandas; nec poſſe, ſaluâ conſcientia, libertatē Religionis promiſcue ac pro libitu tolerare; imò nec ad firmam ſolidamq; pacem conducere, etſi neceſſariò quandoq; toleratam.

NOn ſolum Boëmi Rebelles; ſed & alij ex Acatholicis nonnulli, Caluini præcipuè ſpiritu imbuti, dudum Catholicos, partim etiam Lutheranos Principes accuſant; quaſi diſſidijs in Imperio, ac perturbationibus cauſam præſtent, eo quòd deſideratam tantopere autonomiā libertatemq; credendi in ſuis ditionibus non concedant; quodq; Iura & bona Eccleſiæ ab Acatholicis aut occupata repetant, aut ne occupentur, defendant. Hoc niſi facerent, facilè pacem conſtitutum iri. Sic nimirum olim lupi canes incuſaſſe,

 pote-

poterant, quod oues, pabulum scilicet lupis debitum, tuerentur; nec sinerent edacibus ipsorũ dentibus dulcem escam fieri. Sed quia res hæc grauis est, æternamq; animarum salutem concernit, paucis ostendendum est, Principes Catholicos iure ac ex officio facere, quod faciunt; nec salua conscientia aliud facere posse.

Vid. S. Thom. 2.2. q.10.a.11. Planè igitur fatendum, diuersitatem Religionum, libertatemq; fidei à Principibus Christianis nec approbandam; quia mala est; nec promiscuè permittendam; quia ex eo malorum genere est, quorum permissio rarò potest maioris boni procuratione, maiorisue mali euitatione excusari. Ita docent sacra Scriptura, sancti Patres, Canones Ecclesiæ, Iura Imperij, ipsa ratio naturalis; vsus deniq; & praxis Aduersariorum, vt mox ordine demonstrabo.

Ad scripturam sacram quod attinet, tantum abest, vt ea facilem conniuentiam Principum in dissimulãdis veræ Religionis corruptelis laudet, vt potius magnopere damnet. *Deut. 13. v. 5. 6.* Etenim in Deuteronomio falsum Prophetam, & quià vero DEI cultu ac religione tentet auertere, interficiendum præcipit; etiamsi nobis sanguine iunctus sit. *Lapidibus,* inquit scriptura, *necabitur; quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis: vt omnis Israel audiens timeat, & nequaquam vltra faciat quippiam huius rei simile.* *Deut. 13. v. 15.* Idem præcipit DEVS, si quando vrbs aliqua tota malis consilijs & persuasionibus seducta, relicto veri Dei cultu, ad idololatriam, falsamúe religionem declinauerit.

Statim,

Statim, inquit, *percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia quæ in illa sunt, vsq; ad pecora: quicquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, &c. vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui.*

Exempla particularia habemus, Moysen, qui peccatum Idololatriæ circa vitulum in eremo erectum adeo grauiter vindicandum in Israelitico populo decreuit, vt adiunctis sibi Leuitis, velut Iustitiæ publicæ administris, vindice gladio per Castra Israelitarum promiscuè grassatus, vna die ad viginti tria millia hominum neci dederit. Et rursus alio loco, eum, qui contra Religionem Israelitis præscriptam die Sabbathi ligna collegerat decreta morte mulctandum præcepit: *Morte*, inquit, *moriatur homo iste; obruat eũ lapidibus omnis turba extra castra.* Et paulo post, in schismate Coræ, nõ solum authores sceleris grauissimas dederunt pœnas, sed prius etiam eorum communione alijs interdixit Moyses: *Recedite*, inquit, *à tabernaculis impiorũ, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis ipsorum.* *Exodi 32. v. 28.* *Num. 15. v. 35.* *Num. 16. v. 26.*

Habemus Iosue, quo imperante, cum ad Israelitas delatum esset, filios Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, altare in terra Chanaan, *super Jordanis tumulos, contra filios Israel* erexisse; quasi eo loco contra leges religionis à Deo præscriptæ sacrificium oblaturos; *conuenerunt omnes* (Israelitæ) *in Silo, vt ascenderent & dimicarent contra eos:* eratque procul dubio iam in excidium illorum conclamatum, nisi missa prius legatione didicissent, altare illud non sacrificij, sed monimenti & documenti *Iosue 22. v. 12.*

solum

Digitized by Google

solum causa fuisse erectũ, quo docere illi posteros possent, etiam sibi, quamuis alioquin à cæteris Israelitis Jordane separatis Jus esse ad cultum Dei, & sacrificia cum cæteris Israelitis loco diuinitus destinato peragenda.

Num.25.v.4. Habemus Deum ipsum, qui cum Israeliticus populus à filiabus Moab seductus, sacrificijs profanis se polluisset, iratus his ipsis verbis Moysi præcepit: *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.*

E contrario summa laude in scriptura celebratur Ezechias Rex Juda, ob reformatum ac restitutum veræ religionis statum; magnaq; ideo felicitate à Deo donatus scribitur: 4.Reg.18.v.3. *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Dauid pater eius. Ipse dissipauit excelsa, & contriuit statuas, & succidit lucos, confregitq; serpentem æneum, &c. In Domino Deo Israel sperauit; itaq; post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Juda; sed neq; in his, qui ante eum fuerunt: & adhæsit Domino, & non recessit à vestigijs eius, fecitq; mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi. Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat.* Simili modo collaudatur ab hoc zelo religionis Iosias: 4.Reg.23.v.25. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Moysi, neq; post eum surrexit similis illi.*

Omitto alia exempla Regum, qui vel ob verũ Dei cultum defensum, ac vbi dilapsus fuerat, restitutum, laudantur; vt Dauid, Iosaphat: vel ob neglectum vituperantur & culpantur. Breuiter hac de re

Digitized by Google

de re S. Augustinus; *Temporibus*, inquit, *Prophetarum, omnes Reges, qui in populo DEI non prohibuerunt, nec auerterunt, quæ contra præcepta Dei fuerunt instituta, culpantur. Et qui prohibuerunt & euerterunt, super aliorum merita laudantur.* August. epist. 50. ad Bonif.

Idem docet Scriptura noui Testamenti, Euangeliumque Christi & Apostolorum, qui quidem, cum necdum Ecclesia haberet Reges, & Principes Christianos, non potuerũt ita disertim illos & particulatim de Christianæ politiæ rationibus & institutis informare; nec mirum adeo, Ecclesiam tunc à Principibus secularibus nõ fuisse defensam, quando nulli in Ecclesia erant Principes: ea tamen illi generatim præscripserunt, ex quibus necessario efficitur, sectas & hæreses, proinde & credendi quidlibet libertatem, quoad fieri potest, in Ecclesia tolerandas minimè esse. Certè Christus Dominus vniuersim pronuntiat; *Si quis Ecclesiam non audierit*, habendum *sicut Ethnicum & Publicanum*; adeoq; in Ecclesia retinendum non esse, nec communibus Ecclesiæ iuribus dignandum: quandoquidem per se constat, Ethnicis & Publicanis ad sacra propria Ecclesiæ & Sacramenta (maximè etiã olim Iudæorum ritu) ius nullum esse. Matt. 18. v. 17.

S. Paulus de hæreticis & seductoribus loquẽs: *Rogo*, inquit, *vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt; & declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt; sed suo ventri; & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Et rursum alibi: *Modicum*, inquit, *fermentum totam massam* Rom. 16. v. 17. Galat. 5. v. 8. & 21.

sam corrumpit, &c. qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicunq; est ille, &c. Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant. Et alibi ad Timotheum scribens: *Profana*, inquit, *& vaniloquia* (hæreticorum) *deuita; multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Et rursum: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita; sciens quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.* Et alibi grauissimè: *Licet nos, aut Angelus de cælo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit, &c. Iterum dico: Si quis vobis euangelizauerit, præter id, quod accepistis, anathema sit.* Qui ergo hæreticos abscindendos, & vitandos, atque anathemate feriendos monet, hæresinq; cancro componit, certè hæreses non esse promiscuè permittendas docet.

2.Tim.2.v.16.

Ad Titum 3. v.10.

Galat.1.v.8.

2.Ioann.v.10.

Idem docet S. Ioannes: *Si quis*, inquit, *venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis.*

Apocal.2.Vers. 14.& 20.

Idem in sua Apocalypsi graui interminatione reprehendit eos Ecclesiarum Præsules, qui aduersarias doctrinas tolerabant: *Habeo*, inquit Deus, *aduersus te pauca; quia habes illic tenentes doctrinã Balaam, qui docebat Balaac mittere scandalũ coram filijs Israel, edere & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age; si quo minus, veniam tibi citò, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* Et infra: *Habeo aduersus te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, quæ se dicit Propheten docere, & seducere seruos meos, fornicari & manducare de idolothytis, &c. Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea in tribulatione*

Digitized by Google

maxima erunt, &c. Accedit exemplum eiusdem S. Ioannis: quem refert Irenæus, cũ esset in balneo, & intelligeret, ibi esse Cherintum hæreticum, exiuisse de balneo nõ lotum; timuisse namq; ne conciderer balneum. Quod si ergo ex Christi & Apostolorum institutione, hæretici homines in Ecclesia non sunt ferendi, nec cum eis communi vitæ consuetudine vtendum, sequitur profecto ex eorundem voluntate, hæreses non esse pro libitu tolerandas, ac proinde nec libertatem credendi concedendam, aut promiscue permittendam. *Irena. l. 3. c. 4.*

Obseruarunt hoc olim & factis verbisq; confirmarunt etiam sancti Patres diligenter. Refert idem S. Irenæus S. Polycarpum, cum Marcionem hæreticum aliquando obuium habuisset, isque diceret: *Cognosce nos*, respondisse, *cognosco te primogenitũ Satanæ*: & addit Irenæus: *Tantum Apostoli Domini, & eorum discipuli habuerunt timorem, ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.* S. Antonius apud Athanasium: *Hæreticorum*, inquit, *& Schismaticorum venena vitate, meumq; circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis vnquam fuerit.* *Ireni loc. cit.* *Athanas. in vita Antonij.*

Cum Constantius Imperator Constantini Imperatoris filius, in hæresin Arianam lapsus, Catholicis Episcopis pacem suaderet, & consensionẽ cum Arianis Episcopis, his verbis: *Facite pacem cum Episcopis meis, & estote in vnum.* Catholici non solum eam pacem constanter recusarunt, sed editis etiam libris impugnarunt. Etenim S. Hilarius mox ad ipsum Constantium Imperatorem librum conscri- *Lucifer Calaritanus infra.*

psit, in quo ex instituto probat, eiusmodi cõsensionem admitti nulla ratione posse. Vbi etiam inter cetera: *Cum secundum vnum Deum, & vnum Dominum, & vnum baptisma, etiam fides vna sit, excidimus ab ea fide, quæ sola est, & dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, vt nulla sit.* Simili argumento eodem tempore librum aduersus Constantium Imperatorem scripsit Lucifer Episcopus Calaritanus, hoc titulo inscriptum, *de non communicando cum hæreticis*: rursusque alium, *de regibus Apostaticis.* Et cum Imperator ea libertate commotus, in authorem earum lucubrationũ inquiri iussisset, non solùm Lucifer se auctorem professus est, sed & aliam in eundem inuectiuam edidit, *de non parcendo in Deum delinquentibus*; ac deniq; cum sibi necem ab eo intentatum iri existimaret, alium addidit commentarium hoc titulo *Moriendum pro filio Dei.* Ita olim Sancti, ita magni viri de Religionum diuersitate senserunt.

Vide Baron. Anno 356.

Præclarè autem inprimis hac de re, & quod in ea sit Principis orthodoxi officium, scripsit S. Augustinus, pluribus in locis. Etenim ad Bonifacium Comitem ita scribit: *Aliter seruit Rex Deo, quia homo est, aliter quia Rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter; quia verò etiam Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo; sicut seruiuit Ezechias lucos & templa Idolorum destruendo; sicut seruiuit Rex Iosias, talia & ipse faciendo; sicut seruiuit Rex Niniuitarum, vniuersam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo: sicut seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danieli tradendo; sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in Regno suo positos à blasphemando*

Aug. Epist. 50.

Digitized by Google

mando Deo lege terribili probibendo, &c. Quis mente sobrius Regibus dicat; Nolite curare in regno vestro, à quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri? Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse siue religiosus, siue sacrilegus; quibus non potest dici, Non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse pudicus, quis impudicus. Ita Augustinus.

Qui alibi etiam familiarem antiquis & nouis quibusdam hæreticis obiectionem, fidem liberam esse debere, prolixè dissoluit: *Respondeo,* inquit, *secundum istas vestras fallacissimas vanissimasq; rationes, habenis laxatis atq; dimissis humanæ licentiæ, impunita peccata omnia relinquantur; nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia, & lasciuiendi libido bacchetur; non Rex suum Regnū, non dux militem, non prouincialem Iudex, non Dominus seruum, non maritus vxorem, nec Pater filium à libertate & prauitate peccandi minis vllis pœnisue compescat. Auferte, quod sacra doctrina, pro sanitate orbis terrarum, sapienter per Apostolum dicit, & vt confirmetis in arbitrio tanto peiore, quantò liberiore, filios perditionis, delete; quod ait vas electionis, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo, &c. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Delete ista, si potestis; aut ista, sicut facitis, si non potestis delere, contemnite. Habete de his omnibus pessimum arbitrium, ne perdatis liberum arbitrium. Aut certè quia sicut homines hominibus erubescitis, clamate si audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria; puniantur cætera quantalibet sceleris siue libidinis facinora seu flagitia: sola sacrilegia volumus à regnantium legibus impunita.* Et post multa deniq; concludit Augustinus: *Datum est ergo homini,*

August. lib. 2. cont. Gaudent. cap. 11.

quando creatus est, liberum arbitrium; sed vt si esset malè faciens, fieret patiens.

August. epist. 50. ad Bonif.

Et alibi rursum: *Cur, inquit, cum datum sit homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An leuius est, fidem non seruare animam Deo, quam fœminam viro? Aut si ea, quæ non contemptu, sed ignorantia religionis committuntur, mitius vindicanda, nunquid ideo negligenda sunt? Melius est quidem (quis dubitauerit?) ad Deum colendum doctrina homines duci quam pœnæ timore, vel dolore compelli: sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit (quod experimentis probauimus) prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, sectari.*

Et deniq; eodē loco inferius ait S. Augustinus: *Vbi est, quod isti clamare consueuerunt, liberum est credere, vel non credere; cui vim Christus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum* (voce nimirum Christi vocantis ad terram collisum:) *agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem, &c. Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, vt redirent, si filij perditi coëgerunt alios, vt perirent? An non pertinet ad diligentiam pastoralem, etiam illas oues, quæ non videntur ereptæ, sed blandè leniterq́; seductæ à grege aberrauerint, & ab alienis cœperint possideri, inuentas ad ouile dominicum, si resistere voluerint, flagellorum terroribus, vel etiam doloribus reuocare?* Hactenus SS. Patres.

Ad Ius Canonicum quod attinet, habemus præter doctrinam SS. Patrum, perpetuam praxin omnium Conciliorum, in quibus non tantum doctrina hæreticorum reprobata, sed ipsi etiam hæretici anathe-

anathemate damnati, atq; extra Ecclesiam electi fuerunt; qua quidem pœna in Ecclesia maior nulla est.

Idem docet Ius Ciuile Principum Christianorum; quorum egregius ad hæreses extirpandas zelus in Ecclesia eluxit. Constantinus Magnus aduersus hæreticos ita rescribit: *Cognoscite iam per legem hanc, quæ à me sancita est, O Nouatiani, Valentiniani, Marcionitæ, Pauliani, quiq; Cataphrygum nomen vsurpatis, & omnes omnino, qui per conspirationes à vobis conflatas, hæreses ac sectas etiam atq; etiam augere conamini; cognoscite, inquam, quibus mendacijs vestra doctrina inaniter implicata teneatur, &c. Quid ergo? patiemur ne eiusmodi malorum cogitationem longius serpere, præsertim cum longa dilatio faciat, vt sani ac valentes, eâ tanquā pestifero morbo inficiantur? Cur igitur nō cum maxima celeritate eiusmodi prauitati (vt ita dicā) radices animaduersione ac pœna publica amputemus?* Et inferius mandat Imperator, vt omnia hæreticorum *templa* sine reuocatione aut controuersia *diruantur*, & diruta absq; mora *Catholicæ tradantur Ecclesiæ.* Euseb. in vita Constantini lib. 3 cap. 6. & 62.

Sed & Imperatores Theodosius, Gratianus, ac Valentinianus, Religionis formam in Imperio, nō aliter, quam ad Romani Pontificis normam institui lege lata præceperunt: *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, Religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamq; Pontificem Romanum sequi claret.* Leg. cunctos. C. de Summa Trin.

Adhæc Imperatores, Gratianus, Valentinian⁹, & Theodosius, Augusti, omnibus hæreticis perpetuum

tuum hac lege lata silentium indicunt: *Omnes vetitæ legibus diuinis, & Imperialibus constitutionibus hæreses, perpetuò quiescant. Nemo vlterius conetur, quæ repererit, profana præcepta vel docere, vel discere: nec antistites eorundem audeāt fidem insinuare, quam non habent, & ministros creare, qui non sunt; nec per conniuentiam iudicantium, omniumq́; quibus per constitutiones paternas super hoc cura mandata est, eiusmodi audacia negligatur & crescat. Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deuiare.* Hic videmus, hæreticis omne verbi ministerium ademptum: simul etiam discimus, quinam iam olim ante annos plus mille ducentos hæreticorum nomine fuerint censi, nimirum omnes, *qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deuiare.*

Leg 2. C. de hæreticis.

Iisdem vestigijs insistentes Imperatores Arcadius & Honorius, conuentus omnes hæreticis interdixerunt, pœna etiam in Iudices non vindicantes decreta his verbis. *Cuncti hæretici procul dubio nouerint, omnia sibi loca adimenda esse, siue sub Ecclesiarum nomine teneantur, siue diaconica appellentur, vel etiam decanica; siue in priuatis ædibus, vel locis, huiusmodi cœtibus copiam præbere videantur; his ædibus, vel locis priuatis, Ecclesiæ Catholicæ vindicandis. Ad hoc interdicatur his omnibus, ad litanias faciendas nocte, vel die profanis coire conuentibus: statuta videlicet condemnatione centum librarum auri, contra officium sublimitatis tuæ, vel præsidale quinquaginta, si quid huiusmodi fieri, vel in publico, vel priuatis ædibus concedatur.*

Leg 3. C. de hæreticis.

Ex

Ex quibus manifestum est, hoc Imperatorum verè Christianorum iam olim fuisse commune iudicium, vt hæreses, illamq; autonomiam & credendi libertatem, in Imperio minimè tolerandas esse existimarent.

Et verò eiusmodi seueritatem legum, atq; politici Magistratus, profuisse ad salutem ipsis etiam hæretico errore seductis, & iam antea notatum vidimus à S. Augustino, & alibi ab ipso etiam alijsq; SS. Patribus fusius docetur. *Quam multi*, inquit Augustinus, *ex ipsis nunc nobiscum gaudentes, pristinum pondus pernitiosi sui operis accusant; & fatentur, nos sibi molestos esse debuisse, ne tanquam mortifero somno, ita morbo veternosæ consuetudinis interirent.* *Aug. epist. 48. ad Vincētium.*

Et S. Leo Pontifex ait, *profuisse istam districtionem* (legum ciuilium) *Ecclesiasticæ lenitati, quæ olim sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, seueris tamen Principum Christianorum Constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.* *Leo epist. 91. ad Turibium.*

Eius verò rei præter alias, etiam hanc rationē rectè assignat S. Augustinus, quod cum ex acatholicis multi aliàs non male affecti essent, erga fidem Catholicam, eam tamen humano timore vel pudore impediti, non auderent profiteri, donec per publicas leges timoris caussâ sublatâ, libere facere possent, quod optabant: *Quid de illis*, inquit, *dicamus, qui nobis quotidie confitentur, quod iam olim volebant esse Catholici; sed inter eos habitabant, inter quos id, quod volebant esse, non poterant, per infirmitatem timoris: vbi si vnum verbum pro Catholica dicerent, & ipsi, & domus eorum* *Aug. epist. 50. ad Bonifac.*

rum funditus euerterentur. Certè Donatistæ, & in his deterrimi Circumcelliones eius temporis hæretici, qui huic seueritati legum vel maximè aduersabantur; Manichæi quoq; & Albigenses nonnisi eiusmodi Politici Magistratus seueritate & viribus extincti fuerunt.

Eadem etiam credendi libertas, & conniuendi facilitas, ipsi etiam rationi & Legi naturali, sacræ Scripturæ principijs nixæ, euidenter repugnat. Nam permissio & tolerantia grauissimorum scelerum, quæ directè Diuinam Majestatem lædunt; atque ad vindictam publicam accendunt: alios suâ contagione damnabiliter inficiunt, & corrũpunt; pacem & concordiam publicam, adeoq; ipsam etiam Politiam perturbant, non potest à Magistratu seu Ecclesiastico, seu Politico, impunè ac promiscuè indulgeri, vel permitti; nisi forte in raro aliquo casu necessitatis, vbi ea permissio necessaria est, ad maius malum euitandum, vel maius bonum consequendum: atqui religionis libertas, de quâ agimus, cũ sit licentia credendi quiduis, & quosuis errores ac hæreses ampectendi; ac proinde nihil aliud sit, quàm permissio ac tolerantia hæresum ac errorum, quantumuis veræ & orthodoxæ Fidei repugnantium, est permissio ac tolerantia grauissimorum scelerum, quæ directè Diuinam Maiestatem lædunt, atq; in vindictam publicam accendũt; alios sua contagione damnabiliter inficiũt, & corrumpunt; pacem & concordiam publicam, adeoque ipsam etiam Politiam perturbant; Ergo Religionis libertas non potest à Christiano Magistratu,

seu

Digitized by Google

ſeu Eccleſiaſtico, ſeu Politico impunè ac promiſcuè indulgeri; niſi fortè in raro aliquo caſu neceſſitatis, vbi ea permiſſio neceſſaria eſt, ad maius malum euitandum, maiuſúe bonum conſequẽdum.

Prima propoſitio patet apertè, tum ex officio pij Magiſtratus, cuius eſt Diuinæ Maieſtatis grauiores offenſas, præſertim quæ ſecum vindictam publicam, etiam in hac vitâ impendẽtem trahunt, amoliri; noxiam mali peſtilentis contagionem auertere, publicam Reip. pacem ac tranquillitatem tueri; tum ex Scriptura ſacra, quæ ipſa etiã Magiſtratus politici officium ita deſcribit. *Rex qui ſedet in ſolio iudicij, diſſipat omne malũ intuitu ſuo.* Item; *Diſſipat impios Rex Sapiens, & incuruat ſuper eos fornicem.* Et alibi Reges ac Principes, ob officium neglectæ iuſtitiæ, cuſtodiæ Legum, ac iuſtæ adminiſtrationis grauiſſimè reprehenduntur: *Audite Reges*, inquit Sapiens, *& intelligite; diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis Nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & Virtus ab altiſſimo, qui interrogabit* (& examinabit) *opera veſtra* (etiam publicæ adminiſtrationis;) *& cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius* (cuius proinde honorẽ inprimis tueri, ac violatam maieſtatem vindicare oportebat;) *non rectè iudicaſtis; nec cuſtodiſtis Legem iuſtitiæ, neq; ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur.* Et Apoſtolus diſertè etiam de ciuili Magiſtratu loquens: *Omnis*, inquit, *anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas niſi à Deo;*

Prouerb. 20. v. 25. 26.

Sapient. 6. v. 2.

Rom. 13.

quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris time; non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Ex quibus omnibus patet, publica scelera non posse à Principe politico pro libitu impunè permitti.

Hæreses vero quascunq; esse scelera grauissima, quæ directè Diuinam Maiestatem lædant, atq; ad vindictam publicam accendant, alios sua contagione damnabiliter inficiant, pacem & tranquillitatem publicam perturbent; manifestissimum est cuiuis, qui norit, quid sit hæresis. Nam hæresis Deo fidem derogat, eumq; mendacij quodammodo arguit; Fidem diuinam sine quâ nulla est salus; quæque omnis Christianæ pietatis fundamentum est, conuellit; est violatio Fidei Deo datæ, adeoq; vera erga Deum perfidia; est Apostasia, & deterrima infidelitatis species, quam scriptura teste Deus in Israelitis, gladio, fame, peste, bellis, captiuitate, ac demum extremâ vastitate est persecutus, vt ex parte etiam superius dictum. Quod malum teste Apostolo velut cancer serpit; aliosq; sui contagione adeo miserè inficit, vt non quiescat; donec vniuersum humanæ societatis depascatur corpus; q. cum ex superbia & insigni animi elatione, atq; arrogantia oriatur, & in rebus grauissimis, quæ æternam animæ salutē concernūt, dissensionem à probatissimis maiorum institutis, à praxi & sensu totius

Vide libros Iudicum, Regum, Paralipomen. Prophetias Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, &c. & infra cap. 7.

Digitized by Google

tius orthodoxæ Ecclesię inuoluat, non potest quicquã suis studijs aduersum patienter ferre; sed eos, qui pro officij ratione, etiam verbo solum, monendo, hortando, arguendo, reuincendo, eidem huic malo aduersantur, veramq;, & auitam maiorum Fidẽ tuentur & colunt, extremè persequitur: vnde necessario discordiæ, lites, seditiones, bella oriuntur, vt omnium temporum historiæ, & nostra hæc inprimis infelicia tempora, in Luthero, Caluino, Zvvinglio, eorumq; asseclis, præsenti & quotidiano experimento nimis prô dolor abundè & luculenter testantur. Certè si Lutheri nouatio, & quæ ex eâ deinceps natæ sunt hæreses, ex inferno non emersissent, nunquam tot tantisq; bellis Imperium Romanum, totaq; Ecclesia Christi, his centum annis fuisset diuexata; imo si hodie ad auitam Maiorum Religionem Catholicam, Deo singulari suæ gratiæ fauore aspirante, Principes Acatholici redirent, è vestigio Imperium ac Germaniam totam haberemus pacatissimam; & quod inde consequẽs est, idipsum etiam, contra Turcas, omnesq; Imperij hostes, inexpugnabile propugnaculum.

Ex quibus omnibus patet, quod probandum instituimus, libertatem Religionis non esse Principibus Christianis promiscuè permittendam, sed quantum fieri potest prohibendam; si Dei honori, si Conscientiæ suæ, si saluti subditorum, si paci ac bono communi consultum esse velint.

Sed frustra in re liquida comprobandâ opera perditur, quæ apud ipsos etiam aduersarios ita in confesso est, vt voce ac facto nobiscum hoc loco examus-

examussim consentiant; quod ita demum fiet clarius, si generalem doctrinā, adhibitis debitis limitationibus, ad Imperij præsentem statum ac vsum particulatim accommodauerimus. Neq; enim ea mens est Catholicorum, vt idcirco iura ac conuenta Imperij violentur, vel vt temerè Princeps quisquam in alteri⁹ Principis ditiones ac Prouincias potestatē sibi vendicet, easq;ad suæ Religionis normā reformare, vel modum in ijs, formamq; regiminis præscribere ausit; sed vt supposita & saluâ Pacificatione in Imperio initâ, integrū sit Principib⁹ Catholicis, in suis duntaxat prouincijs & ditionibus cultū veteris & auitæ Religionis Catholicæ tueri; si quid errorū ac sectarum irrepsit ita expurgare, vt exercitium acatholicæ religionis prohibeatur; Ministri seductores eijciantur; subditi ad verā & orthodoxam Fidem Catholicam tuendam, acceptandamq; diligēter informētur, admoneanturq;: Si qui vero obstinatè monitionib⁹ resistūt, pacatè ex Prouincia excedere iubeantur: ac si quid forte iam antea certę alicui Prouinciæ, certis conuentis, aut promissis, secus indultum, ea sanè promissa & conuenta ne extra limites permissos extendantur, cauere: sicut enim ab initio promiscuè libertas Religionis permittenda non est; ita etiam permissa semel ne extendatur, in maius Catholicæ Religionis præiudicium, ac salutis animarum detrimentum, pari studio cauendum est. Et hæc quis Acatholicus Imperij Princeps in suis ditionibus non diligentissimè seruat; quis Catholicis Concionatoribus in Imperio aditum ad eas aperit, eisq; vsum officij sui permittit?

Digitized by Google

mittit? quis libertatem Fidei catholicæ, eiusq; liberum vsum ac exercitium suis subditis concedit? Et hoc scilicet Principi cuilibet Imperij, quantumuis non summo, in sua ditione liceat, Catholicis vero Principibus etiam summis, in suis etiam hæreditarijs, etiam Imperio subinde non subiectis ditionibus, non liceat?

Rectè quod olim Donatistis S. Augustinus, nos etiam aduersæ parti dicimus: *Noli dicere, absit, absit à conscientia nostra, vt ad nostram Fidem aliquem compellamus: facitis enim vbi potestis; vbi autem non facitis, non potestis; siue Legum, siue inuidiæ timore, siue resistentium multitudine.* Valde profectò ridiculum est, quod non ita pridem hac de re Ministri quidam in Imperio scripserunt: A' Principibus Lutheranis *Catholicos non fuisse tyrannicè eiectos & expulsos; sed permissam ijs fuisse libertatem credendi, & acceptandi lutheranam Religionem: id si non facerent, decretum, in alia loca se conferre vt possent,* & quid ni deberent? Ita nimirum in suis *libertatem* vocant, quam in nostris mirabili Synonymia *Tyrannidem.* Caluinistæ verò multò hic etiam durius, ne dicam crudelius docent, vt cap. 6. dicemus. Certè is ipse noui syncretismi suasor, & fucati Irenici fictor, alibi his verbis scribit: *Magistratus Christianus non debet confusionem in Religione permittere; sed solam veram Religionem* (Caluinisticam) *tueri atq; defendere.*

Augustin. lib. 2. cont. Petil. c. 83.

Ministri Coburgenses in Confut. sua. Vide Dioptram Fidei Adami Tanneri, l. 3. c. 16. pag. 1030.

Pareus in cap. 1. epist. ad Rom.

Quanto potiori iure possent Catholici de nonnullis ciuitatibus Imperij conqueri; in quibus cum ab Acatholico Magistratu, non vnius, sed plurium religionum discrepantium liberũ exercitium permitta-

mittatur; Catholicæ tamen & Orthodoxę Religionis vſus ac profeſſio, contra Imperij ſtatuta, interdicitur. Sed hæc particulatim premere non eſt huius inſtituti. Satis eſt hic oſtẽdiſſe, incuſari Principes Catholicos minime poſſe, ſi pro ratione officij, & quo ad publica pacta & conuenta permittãt, inuigilent, vt in ſuis Prouincijs, exterminatis ſectis diſſidiorum & malorũ omnium cauſis, Catholica Religio inuiolatè conſeruetur. Id enim eos iure ac ex debito facere ex dictis eſt manifeſtum, adeo vt nec in eorum quidem ſit poteſtate, in hac cauſa, perinde vt in rebus ciuilibus & temporalibus, iuri ſuo cedere; non enim de priuato ipſorum hic iure agitur; ſed de honore ac iure Dei ac Eccleſiæ, de æterna ſalute animarum, deq; publica pace ac tranquillitate, in quib⁹ rebus condonare ipſi nihil poſſunt, nihil concedere. Quo magis etiam ex ijs, qui Catholicum nomen profitentur, ſuſpecti habendi ſunt illi, qui pſeudopolitico ſpiritu, non vero Dei & Religionis zelo imbuti, nihil niſi autonomiam libertatemq; vti vocant conſcientiæ, paciſq; politicæ ſimulacrum potius, quam veram Pacem ſpirantes, exiſtimant, ſtudio Pacis conniuendum in omnibus hæreſibus eſſe. Qualis olim etiam in Apelle damnatus ab Eccleſia error fuit, qui dicebat, non eſſe diſcutiendam rationem Fidei, ſed ſat eſſe credere in Chriſtum crucifixum.

Euſeb. l. 5. hiſt. c. 13. Euagrius l. 3. c. 14. & 30.

Non nego, à Catholico Principe tolerari aliquando aduerſariam Religionem poſſe, nonnunquam etiam debere, velut minus malum, maioris mali euitandi cauſa; vel etiam ob maius bonũ conſequen-

dum: id quod à S. Thoma & omnibus Theologis vnanimi consensu traditur; ab ipso Christo acceptum, prohibenti ita euelli zizania, vt simul eradicetur triticum: Sed non video tamen, qua ratione quisquam existimet, hanc esse viam ad firmam solidamquè pacem constituendam. Idquod vnà mecum facile sentiet, quisquis Imperii acta à prima Lutheri defectione sincerè expendere uoluerit. Quanta enim hactenus ad pacem politicam, inter tam varias credendi formulas, sanciendam pertentata non sunt? etiam nouis semper cessionibus & condonationibus ex parte Catholicorum, non absq; ingenti Ecclesiæ Catholicæ damno, interuenientib⁹; & tamē adeo nihil eâ condonatione & lenitate perfectum est, vt semper in deterius non solum Catholicæ Religionis status in Imperio rueret, sed insuper etiam ea re nouis dissidijs & litibus, quasi via sterneretur. Jn propatulo exstant Imperij acta; quæ ad institutum recolere, nemini vt opinor, est interdictum.

S. Thom. 2.2. q. 10. art. 11. Matth. 13.

Damnatus jam initio ab optimis Imperatoribus fuerat Lutherus; à Maximiliano I. Augustæ, literis ad Leonem X. Pontificem datis; Anno MDXVIII. item à Carolo V. in conuentu Wormatiensi, ex communi statuum Imperialium consensu, Anno MDXXI. ipsa quoque Augustana Confessio, vix nata, mox damnata fuit in comitijs Augustanis, ab eodem Carolo V. ac ceteris statibus, *qui obedientes Imperij status* vocantur, in peculiari edicto Anno MDXXX. simulq; expresse cautum ne ante Concilium in receptis ab Ecclesia dogmatibus

Habetur tom. 1. Luth. lat. VVit. fol. 203. Habetur tom. 2. Luth. lat. VVit. fol. 445

Digitized by Google

tibus quicquam innovaretur: eratq́; hæc via optima, ad pacem solidam in Jmperio stabiliendam, si ei constanter insistere licuisset, aut libuisset. Sed quid factum? Turcæ Austriam inuadentis metu in-
Sleidan. l. 8. Anno 1532. iecto, Anno MDXXXII. in conuentu Norinbergensi toleratur primùm à Carolo V. Augustana Confessio, hac tamen expressâ moderatione addita, vt Acatholici præter scriptum illud exhibitum Augustæ, circa Religionem nihil innouent, nihil doceant, nihil euulgent; & intra hos Fines permaneant, ad usq́; Concilij tempus; eaq́; toleratione
Osiand. in Chron. fol. 210. 212. pax publica Imperij sancitur. Sed Aduersarij huic decreto, & cautioni minimè steterunt, nouis semper chartis librisq́;, & contumelijs ingentibus de *Romano Antichristo &c.* aduersus Romanum Pontificem, Imperatorem, ac Principes Catholicos totamq́; Ecclesiam orthoxam temere sparsis ac indies magis magisq́; propagatis.

In Comitijs item Ratisponensibus Anno MDXLI. ab eodem Imp. Carolo denuo pax firmatur in hunc modum, vt Acatholicorum Historici notant: *Cæsar quod ad Religionem pertinet, & lites omnes, de quibus ambigitur, an sint Religionis, necne, sed & proscriptiones, publicæ quietis caussa, donec aliquo uel Concilio uel Conuentu.* (ad quem scilicet Pontificis auctoritas per Legatum accederet) *res cognoscatur, suspendit.* Sed aduersarij non diu hac pacis transactione contenti, Anno MDXLVI. ingentibus copijs Imperatorem, quasi pro mercede factæ condonationis, inuadunt, ea mente, vt eum, si possent, penitus etiam ex imperio eliminarent.

Sed cum res Deo benè fauente aliter cecidissent

Digitized by Google

ſent; ipſiq; uicti in poteſtatẽ Imperatoris veniſſent, mox Anno ſubſequenti in Comitijs Auguſtanis Anni M D X L V I I. & M D X L V I I I. *Carolus Imp. Octobris die 18.* inquit Sleidanus, *vt omnes Concilio ſe ſubmittant petit, & cum Palatino, & Mauritio priuatim agit vt aſſentiantur, & illi demum Octobris die 23. aſſentiuntur. ſancita interim fuit formula quædam Religionis, quæ interim dicebatur, in quam ipſi proteſtantes* (tametſi in ſingulis articulis propemodum eorum Religio particulatim ibidem reiecta & damnata fuerit) *conſenſerunt*: adeo vt aduerſariorũ quoque ſcriptor eam Religionis formulam appellet, *Caroli V. Imperatoris Auguſti declarationem Religionis, quæ conſtituit exercitium Religionis, quale interim eſſe debeat in Imperio Romano usq; ad definitionem Concilij generalis, publicatam & promulgatam, & à ſtatibus imperij acceptatam in Comitijs Auguſtæ 15. May. Anno M D X L V I I I.* Certe Imperator ipſe Carolus in eo edicto de ſeipſo teſtatur, *ſe cum communibus Imperij ſtatibus atq; ordinibus conſultando & deliberando egiſſe, vt veſtigijs SS. Patrum & majorum ſuorum inſiſtentes; qui ſemper in Religionis cauſſa ad ſacra Concilia confugere, & ab ijs doceri ac informari erant ſoliti, inſtituto huic Concilio adhærere, eiq; ſeſe ſubmittere, decretaq; ejus expectare & mandata ſeruare, vno conſenſu promiſerint.*

Sleidan. l. 19. & Oſiand. fol. 422. & 423.

Melch. Goldaſt. Conſtit. Imper. Francofurt. Ann. 1607. Formula interim habetur etiam tom. 3. Concil. edit. Colon. per Surium pag. 846. Vid. Anatom. Confeſſ. Aug. demonſt. 10 §. 11. num. 256.

Sed ne ſic quidem aliquid effectum; neq; enim aut promiſſis aut legibus & decretis Imperij ſteterunt aduerſarij: ſed mox Anno MDLII. nouo bello adverſus Imperatorem & ſtatus Catholicos ſuſcepto, conſtitutos pacificationis terminos perfregerunt; ac eo usq; demum Regem Ferdinandum adegerunt, vt in tranſactione Paſſauienſi ea

omnia quæ Catholicis ipsi ad id usq; tempus iniquè ademerant, Episcopatus, Abbatias, præposituras, aliaq; bona quam plurima, cum ingenti Ecclesiæ Catholicæ damno & præiudicio, cedere vellet: ita tamen, vt posthac ab iniurijs abstinerent. Sed neq; sic pax consecuta.

Sleidan. l. 25. Nihilominus enim Albertus Brandenburgicus palam reprehensâ eâ concordia, passim per Germaniam armis grassari perrexit, quem idcirco Anno MDLIII. eiusdem alioquin Religionis consors Mauritius Saxo, missis literis, de communi Principũ & Ordinum Concilio reprehendit, eidemq; publicum bellum necessariæ defensionis caussa indicit. In ijs ita inter cetera scripsit: *Cum nuper intra fines Imperij natum esset bellum, Rex Ferdinandus adiuuantibus alijs, id operam dedit, & elaborauit, vt discederetur ab armis, in eoq; consentientes tandem habuit Imperij Principes, belli duces, ac demum permissu Cæsaris pacem constituit: quâ cautum est inter alia, non solum ut nihil contra fiat, sed vt ijs etiam, qui periclitantur, auxilia subministrentur. Eam vero tu nonmodo recusasti; verum etiam ad præcipui nominis Principes aliquot ausus es apertè scribere ad Germaniæ summum dedecus ac detrimentũ illam pertinere, ac proditionem potius appellandam esse.*

Vid. Recess. comit. germ. Hinc vt pax Germaniæ firmius stabiliretur, Augustæ in comitijs Anno MDLV. non solum Concordia Passauiensis confirmata, sed insuper etiam hæc ampla & absoluta pacis formula constituta & sancita fuit, his verbis: *Quod si talis Concordia his vijs, generaliis Concilij, nationalis Synodi, Colloquij, aut Imperialis conuentus, non consequeretur, nihilominus prædicta*

dicta pacificatio usq; ad perfectam, & absolutam de Religione & Fide concordiam, suas vires habeat, atq; conseruet. sicq; adeo iuxta dicta & vniuersim, constans, firma, absoluta, & perpetua Pax decreta & constituta esto.

Addita tamen ibidem hæc restrictio fuit: *Omnes aliæ Religiones, quæ cum alterutra prædicta* (Catholica, & Confessionis Augustanæ) *non conspirant, in hac pacificatione non contineantur, sed omnino excludantur.* De qua re ipsis etiam Lutheranis Martinus Kemnitius in Epistola ad Illustrissiimum Joannem Georgium ElectoremBrandeburgicum ita scribit: *A pace publica Sacramentarij, quamdiu in sua impia damnatâq; opinione permanent, omni tempore excluduntur*: & Lucas Osiander in suæ Historiæ Glossa marginali hæc annotat: *Caluinistæ hic excluduntur à pace Religionis.*

Kemnit. epist. data 24. Ian. Ann. 1584.

Osiand. Ann. 1555. fol. 622.

Sed anne demum hac saltem ratione, tàmq; profusa Catholicorum condonatione, pax obtenta? minime. Nam & à nonnullis noua insuper Monasteria, Præpositurae, aliaq; bona Ecclesiastica Catholicis per vim adempta; eaq; non obstante etiam sententia, in Camera Spirensi aduersus iniustos detentores & occupatores lata, pertinaci vi etiamnum retinentur; sed & Caluinistæ in pacis constitutæ formulam, quamtumuis ab ea, non solum ex verbis citatis, sed etiam communi Lutheranorum æque, ac Catholicorū judicio exclusi, intrudere se per uim conniтuntur; apertè simul professi, in his cedere, aut ullam transactionem admittere se non posse &c. Ecce quo his pacificationibus, conniuentijs, condonationibus deuentum; vt & vetus

Digitized by Google

vetus ſcilicet illa, ac ſolida, vnius Fidei conſenſione nixa pax adempta ſit Germaniæ: Nec aliâ etiam vllâ quantumvis ſæpius reformatæ ac renouatæ pacis formula frui Catholicis alijsue pacificis Imperij ſtatibus liceat; quin ſemper ultra conceſſos limites pars aduerſa, quæ turbulenti Caluini ſpiritu agitatur, progreſſa, nouis molitionibus, nouisq; iniurijs in Catholicos aliosq; pacificos Imperij ſtatus graſſari pergat; nunquam pedem fixura, manusuè cohibitura, donec ſenſim, ijsdem pacificis Imperij ſtatibus oppreſſis, & prouincijs bonisq; Catholicorum accisis uel occupatis, uires eorundem penitus obterat & eneruet, ad certiſſimum Imperij, ac totius Catholicæ Religionis in Germania, immò etiam in adiacentibus alijs provincijs excidium: vt vel hinc hæreſis indolem uerè ab Apoſtolo deſciptam fuiſſe agnoſcas quando dixit, eam inſtar fœdi ac peſtilentis *Cancri* & carcinomatis perpetuo *ſerpere*, atq; ſenſim ceteras etiam ſanas corporis partes depaſcere.

2. Tim. 2. v. 17.

Qui vero præſentis tragœdiæ Boemicæ originem accuratius voluerit diſquirere, plane deprehendet, eam ex literis Majeſtatis à Cæſare Rudolpho conceſſis fuiſſe profectam; quas cum aduerſarij ultra terminos conceſſos & expreſſos extenderent; nec tamen in ea re aſſentientes haberent Regios præfectos, ipſumq; Cæſarem; mox in eos correptis armis, vi vindicandam eam ſibi licentiam ſumpſerunt, quam in literis Majeſtatis conceſſam falſo præiudicauerant. Majeſtatis literæ ſi conceſſæ fuiſſent nunquam, nulla etiam, de inter-

Vid. Rela. francoforti editam Anno 1618. pag. 19.

Digitized by Google

interpretatione ac sensu exstitisset quæstio; nulla de violata fide querela: nulla seditio. Sed quia vti dici solet, digitum semel tenebant, totam facile manum ad se pertrahi posse existimauerunt. Ita vel hoc etiam exemplo discimus, nunquam aduersarios, qui semel Caluini spiritum hauserint, intra concessos terminos sistere, sed semper vlteriùs si vires suppetant, in vetitum niti & ad illicita contendere; immo ipsis etiam Catholicorum condonationibus ad nouas iniurias inferendas abuti.

Ex quibus satis iam manifestum est, quod diximus, facilem illam, & inconsultam indulgentiam Principum, in condonandis Catholicæ Religionis damnis, eiusq; iuribus alienandis, nec Deo supremo iudici ac Domino probari; nec viam esse ad solidam firmamq; pacem in politia constituendam. Qua ratione tamen interim, dum Deus piorum uotis obsecundans, solidiorem in vnius veræ fidei consensione fundatam pacem benignus indulgeat; hac quali quali, quæ publicis Imperij pactis conuentisq; stabilita est, pacis formula, contentos esse oporteat, pluribus cap. 9. dicetur.





CAPVT

CAPVT IV.

Nec Iesuitas, nec cæteros Ecclesiasticos, dum vel ex officio, vel pro ratione instituti sui, Religionem Catholicam contra adversarios voce & calamo propugnant, seditionum ac bellorum culpam sustinere, nec ideo suum officium vocationemq; deserere posse.

Apolog. 1. Boe. sel. 4. & seqq.

QVidquid culpæ veluti per partes ac secundario Regibus ac Principibus Catholicis impingunt aduersarij Boëmi, eorumq; coniurati, vt in eos seditionũ, tumultuum, ac suæmet rebellionis culpam deriuent, id totum primariò in Jesuitas & quosdam alios Ecclesiastici ordinis viros primarios, & Boëmiæ Præsules transfundunt; quasi eorum doctrinâ, consilijs, ac iniquis Machinationibus Principes ipsi, alijq; Catholici Magnates eò fuerint adducti, vt illi in suæ religionis vtraquisticæ exercitio, aduersus concessa priuilegia, uarijs modis iniquè turbarentur & grauarentur: qua de causa necessarium fuerit etiam aperta uiolentia armisq; correptis vim amoliri, seq; ac suam Religionem in libertatem vindicare. Quamobrem post susceptum in honoratissimos ac præcipuos Regis Vicarios & Præfectos nefarium ac immane præcipitij illati facinus, mox primi Boëmi, eodem illo Anno M DC X VIII. deinde Anno sequenti eorum etiam confœderati Moraui

Digitized by Google

Moraui & Silesij, necnon Hungaricorum statuum Acatholicorum nonnulli, in apertam conspirationem ac rebellionis Boęmicæ Societatem pertracti, edito in Jesuitas acerbo proscriptionis decreto, hanc inter alias potissimam proscriptionis caussam obtenderunt; quòd *Iesuitæ perturbatores essent pacis publicæ, interq; Principes & eorum subditos, vt & inter singulas eas partes mutuò bella, tumultus seditionesq; concitarent.* Idem repetunt Boëmi in utraq; sua Apologia sæpius.

Accesserunt etiam ex Imperio Acatholicorum quorundam Ministri & scriptorculi, Anonymi tamen omnes, qui quasi ad inimicum castrum iam non leui motu concussum, communi opera ac impulsu penitus subruendum, omnem conatum industriamq; contulerunt. Alij nimirum Iesuitis & Ecclesiæ Catholicæ, quasi ob acceptam incurabilem plagam, & deploratam ualetudinem, nullo iam amplius malagmate aut remedio sanabilem illudere: Alij regerere illatas à Boëmis criminationes & exprobrare concitatas turbas: Alij etiam augere calumnias, & scurrilibus ac famosis scriptis iam olim editis ac refutatis, denuo in linguam uernaculam translatis recusisq;, ac in unum quasi fasciculum compactis, in Societatem nostram impudentissimè grassari; ea aperta uoti propositiq; sui contestatione; vt iam cœptum ac illatum in Boëmia, Morauia, atq; Hungaria, in Jesuitas exilij supplicium, toto Imperio, & si fieri possit toto orbe Christiano, continuetur. Alius deniq; è roseæ crucis fraternitate male feriatus frater

Die Bäpstliche Aderlaß.

Ocupatio Regni Hungariæ.

Postpart der Jesuiten.

Digitized by Google

Propheticum sibi spiritum quasi diuinitus immissum temere arrogans palam vaticinatur, post triennium Jesuitas omnes è Germania pellendos: Quare etiam pro eximia, qua in Jesuitas quosdam speciatim fertur beneuolentia, ijs persuasum vult, vt manuale aliquod artificiũ, uitæ tolerandæ condiscant: alijs, quorum emendationem in desperatis habent, vt iugulo sibi interciso orco se deuoueant.

Sed non terrent Iesuitas hæc bruta fulmina, & velut in pelui fulgura. Altiori Diuinæ prouidentiæ ac protectionis robore nititur caussa Societatis nostræ; quæ non desinet Domino Deo supplex se commendare, & meliori ac sanctiori Prophetæ sociata dicere: *Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo: Susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum:* Haud dubiè cum gaudio etiam aliquando etsi ringentibus aduersarijs, epinicion illud decantatura; *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Et; Qui tribulant me inimici mei ipsi infirmati sunt, & ceciderunt; laqueus contritus est, & nos liberati sumus.* Interim iuuat sæpius mente repetere illud Beati Jobi *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus?* Pergant sane, quando ita volunt, insultare nobis Aduersarij, nostramq; vti putant, infelicitatem exprobrare; nil repugnamus: Fecit id iam quidem abundè etiam Boëmorum ille Fabulator, qui dum retulisset, *Iesuitas* aliquot (ob constantem scilicet fidei Catholicæ confessionem) *Cassouiæ* ab Acatholicis *Hungaris* Anno superiori fuisse crudeli-

Psal. 26. & 90.

Psal. 26. & 123.

Iob. 2. v. 10.

Occupatio regni Hungariæ Pragæ Anno. 1619. apud Laurentium Emmerich.

Digitized by Google

ter *trucidatos & in frusta concisos, atq; in latrinas demersos*, plenus exultatione exclamat, *O sancta Talionis pœna*: quasi verò iusta sit homini Christiano exultandi causa, quando viri innocentes, ob fidei Catholicæ professionem, adeo crudeliter bestiarum more mactantur, mactati etiam omni honesta sepultura priuantur. Existimes, hos turbines iam olim à S. Athanasio notatos, sub Arianorum hæreticorum nomine, his verbis: *quinimo ne corpòra quidem occisorum suis ad sepulturam concessere; sed locis occultis abdiderunt, vt laterent scilicet ipsorum homicidia; uerum ea minimè latuerunt, uniuersa enim ciuitas hanc crudelitatem uidit, omnesq; eos, vt carnifices, vt maleficos, vt latrones auersati sunt; quippe qui & monasteria euerterint, & ignes iniecerint ad Monachos comburendos, domosq; diripuerint. &c. Istiusmodi sunt scelera Arianorum.* Sed pergant modo homines isti, quando ita placet insanire, & cum impio Semei subsannare innocentes illis ipsis verbis in Iesuitas repetitis: *Egredimini, Egredimini, uiri sanguinum, & viri Belial*; Nobis fixum est, calumnias non reponere; sed potius cum S. Dauide spe in Deo posita, solatium eius expectare in tempore: *Si forte respiciat Dominus afflictionem nostram, & reddat nobis Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.*

Athanas. ad Vitam solit. agent.

2. Reg. 16. v. 7.

2. Reg. 16. v. 12.

Interim tamen ne silentio agnoscere ac fateri videremur criminationes nobis impactas, non tam nostro, quam proximorum malo, quorum saluti inuigilare debet, ex ui instituti, noster publicus etiam labor; necessarium fuit eiusmodi calumnias depellere; quod iam ante factum, edita

tam latinè, quàm germanicè, Viennæ primum; postea etiam Ingolstadij cum auctario recusa Apologia societatis, contra iniquam hostium nostrorum sententiam: In qua quidquid non solum à Boëmis, Morauisq;, & Silesijs, in decreto proscriptionis, sed etiam in vtraq; Boëmorum Apologia, contra societatem nostram sparsum fuerat, ac speciatim criminatio illa turbatæ pacis, sigillatim & ex instituto refutata fuerunt; nec opus hoc loco, particulatim quicquam addere, quando Apologia illa, nullo hactenus verbo ab Aduersarijs impugnata suo stat robore immota. Solum quasi per Anacephalæosin, in breuem summam redigere iuuat omnia, de quibus aduersarij nos accusant; vt intelligat lector, quam iniquè turbatæ pacis rei ab Aduersarijs agamur.

Duo nimirum sunt, è quibus eam in nos accusationem texere solent aduersarij. Doctrina nostra; & publicus pro Ecclesia Catholica labor. in priuatis enim moribus, nec est momentum ullum, quod ad præsentem accusationem faciat; & in ijs aduersarij vix culpant quicquam, nisi ipsam nimiam, ut existimant, speciem sanctitatis; quam vno verbo *hypocrisim*, & ab ea Jesuitas vernacula lingua **die Scheinheiligen**, hoc est, *apparentes sanctos* solent indigitare. Nimirum tantum abest, vt Aduersarij prudentiores societatem nostram (in qua tamen quia homines sumus, singuli infirmitatem quisque suam, vti par est, satis agnoscimus) ob priuatam vitæ consuetudinem accusent, vt uel ob hoc ipsum nos oderint, quia moribus ipsorum

Digitized by Google

ipsorum non conformamur, transfertur nimirum hîc vetus illa impiorum querela, à Christo, etiam ad cultores Christi: *Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris, tanquam ab immundicijs, & præfert nouissima iustorum.* Indubitatum equidem est, Aduersarios minori nos odio prosecuturos, si à religiosæ vitæ instituto deuij per abrupta uitiorum aut decliuia voluptatum eos præuios subsequeremur; quia similis simili gaudet, & similitudo morum facilè conciliat amorem & conspirationem animorum. Sap. 2. v. 15.

Sed non propterea officium deserimus; incitamur magis vt vocationi nostræ respondeamus; memores admonitionis paternæ Christi ad discipulos: *Si mundus nos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego vobis dixi.* Exemplo nobis est Apostolus qui fauorem eiusmodi humanum, ex malefactis parandum, susq; deq; habebat: *An quæro* inquit, *hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Auaritia autem, vitæ delicias, carnis sordes, in hac ipsa Boëmorum aduersus societatem infestatione, qui nobis obiecere, adeo probabile nihil ad suæ criminationis probationem attulerunt, vt seipsos potius sordidissimos & apertissimos calumniatores probarint, ludibrio publico, non noua refutatione dignos. Ioan. 15. v. 18. Galat. 1. v. 10. Vid. Apolog. Societ. contra Boem. proscriptionem cap. 6. & 10.

 Omissis

Digitized by Google

Omiſſis ergo priuatis moribus; qui etiamſi peſſimi eſſent, nihil per ſe ad publicæ pacis turbationem, de qua agimus, facerent; ad doctrinam ſocietatis quod attinet; & alibi ſæpius, & iam antea capitibus præcedentibus, manifeſtum fecimus quæ ſit doctrina ſocietatis noſtræ, tum de fidei Chriſtianæ capitibus; tum inprimis de humani conuictus ſocietate; ſpeciatim de pactis & conuentis, deq; belli paciſq; ſtudijs; ea nimirum alia non eſt, quàm aliorum Catholicorum doctorum, ipſiuſq; Eccleſiæ; nec de rebus politicis alia, quam quæ, in diſſimili quidem vitæ fideiq; profeſſione, ipſorummet eſt aduerſariorũ, qui iuxta religionis ſuæ rationem vel rectiſſimè ſentiunt. Nimirum in occulto loquimur & docemus nihil. In publicis cathedris, in Scholis, in Templis, in Libris reſonat & palam auditur doctrina noſtra. *Si malè loquimur, teſtimonium perhibeant de malo*, illi ipſi qui improbant: *Si autem benè*, ſi idem quod cæteri Doctores, ſi idem quod ipſa Eccleſia Catholica; imo idem, quod in diuerſo religionis genere ipſimet aduerſarij, quid nos contumelijs cædunt, & doctrinæ præcipuè politicæ, ſeu ethicæ cauſſa, adeo acerbè in ſectantur?

Sed tribus nimirum artibus, ſeu potius fraudibus, hoc efficere ſtudent aduerſarij; vt iure noſtram potiſſimum doctrinam ſuggillare uideantur. Primò falſam nobis doctrinam affingunt. Nam in hac ipſa Tragœdia Boëmica dicunt aduerſarij, nos docere, *fidem hæreticis non eſſe ſeruandam*; Hæreticos omnes, ſpeciatim eos, qui Lutheri, aut Caluini

Vid. Apol. Soc. cont. Boem. cap. 3. 4. & 9.

dogmata

Digitized by Google

dogmata sectantur, ferro & igne exterminandos, non obstantibus pactis & conuentis, seu Regiæ Maiestatis literis & promissis; fas esse cuilibet priuato Reges & Principes Acatholicos interimere. Quæ tamen omnia & singula non sunt nostra Jesuitarum dogmata, sed apertissima & fœdissima aduersariorum in Jesuitas figmenta & criminationes; quas in ipsorum aduersariorum capita sub calumniæ nota ac nomine retorquebimus eo vsq; donec legitimo documento probent; à Iesuitis hæc, aut horum aliquid fuisse traditum, quod certò scimus nunquam facturos. Interim nulla iudiciorum æquitas, nulla æquitatis ratio patitur, vt accusatus damnetur, nec confessus, nec conuictus. Quod si satis ad damnationem sit crimen accusare, sicq; accusatio, & quidem hostium accusatio, nocentem faciat & reum, quis obsecro innocens erit? Iam tot ab aduersarijs ipsis editi sunt, sub hac epigraphe libri, *Doctrinæ Iesuitarum capita*; *catechismus Iesuiticus*; seu *Examen doctrinæ Iesuiticæ*; *Aphorismi doctrinæ Iesuitarum*; an fuit quisquam qui eiusmodi dogmata esse Iesuitarum comprobaret? Certè postremus, qui vel maximè in hac re vnica adlaborare visus est, ita iam à duobus è societate nostra Theologis de fasitate, imposturis, & mendacijs conuictus est, vt calumniæ societatem contrahat, quisquis hac in re eius fidem prudens sequitur.

Martinus Becanus refutat. Aphorismorum.

Sebasti. Heiss ad eosdem Aphorismos declaratio Apologetica.

Secunda fraus aduersariorum est, qua nostram ipsi doctrinam, piè & orthodoxè ac ex mente omnium Catholicorum traditam, malè ac in sinistrum sensum, calumniæ struendæ, & inuidiæ nobis

Digitized by Google

nobis concitandæ caussa interpretantur. Ita dum profitemur pontifici Romano ipsos etiam Reges & Principes Christianos subiectos esse debere; quod omnes Catholici ex ipsius Christi ore docent, vt superius dictum est, id eo ipsi referunt, quasi omnia regna mundi cupiamus politico ac seculari dominio Romani pontificis, cum eorundem Dominorum secularium præiudicio subiugare: quod quam sit à nobis alienum, alibi demonstratum est. Simile est, quod aiunt, à nobis hæreticos vocari eos, qui Romanæ Ecclesiæ non obtemperant, aut certè ab eius fide sunt alieni: quod ipsi eò spectare dicunt, vt omnes eos, quotquot Lutheri vel Caluini dogmata, etiam bona quantumuis fide aut ignorantia ducti sequantur, verè ac propriè hæreticos esse pronunciemus; quæ tamen non est Iesuitarum; nec Catholicorum, nec omninò vera doctrina. Canones ipsi & bullæ pontificum Romanorum *hæreticos & credentes* Hæreticis inter se distinguunt. Sancti Patres & ex ijs Sanctus Thomas, & Catholici omnes, præter errorem fidei, ad hæresim requirunt *pertinaciam*. Nos ipsi, si pro hæreticis haberemus omnes in fide errantes, aut Romanæ Ecclesiæ non obtemperantes, nec tam amanter, nec tam sedulo, oportunè importunèq; prædicando, obsecrando, increpando, *in omni patientia & doctrina* eos Catholicæ veritatis viam edocere, atq; ad eam intrepidè amplectendam adhortari pergeremus; quando Apostolus hæreticum hominem, *post primam secundamq; correptionem* deuitandũ esse præcepit.

Apolog. Societ. cont. Boem. c. 4.

August. Epist. 162. Thom. 2. 2. q. 11. a. 2. Vid. Apol. pro Societ. contra Boem. c. 4.

2. Tim. 4. v. 2.

Tit. 3. v. 10.

Agno-

Agnoscimus sanè & dolemus ex imo pectore, tam multos esse utriusq; sexus homines, uiros sæpe cordatos, sinceros, à ueritatis affectu & studio minimè alienos; fæminas item insita quadam naturæ melioris indole, ad modestiam, pudicitiam & pietatem propensas; qui non malitia, nedum pertinacia ducti, sed ignorantia falsisq; informationibus & persuasionibus Ministrorum seducti, longe aliam de Catholicæ Ecclesiæ doctrina & institutis opinionem habent, quam Ecclesia ipsa reuera profiteatur. Inuenias, qui pontificem Romanum, non hominem aliquem, nec ad humanitatem ullam, ac ciuilis vitæ societatem compositum, sed monstrum aliquod horrendum & ingens aut ipsum incarnatum Diabolum; Iesuitas verò non inter homines natos, nec ab hominibus, multa etiam sæpe sanguinis gloria, opumq; potentia nobilissimis; multo minùs in ipsius Imperij seu Germaniæ, communis Patriæ nostræ, eiusdemuè cum illis Regni Prouinciæq; meditullio natos; Sed inter Barbaros aut feras, à Satyris & Faunis progenitos, & educatos, semiuiros & semiferos, cornutas bestias locustasuè, aut ranas ex inferno emersas, seriò opinentur; qui cum Iesuitas vel in conspectum semel admiserint, tum mox dementiam ipsi suam, facilemq; credulitatem damnare non erubescunt: hos quomodo hæreticos vocemus, qui non nisi inuiti deceptiq; stultissimis eiusmodi delirijs verius, quam erroribus detinentur.

Neq; mirum, à Prædicãtibus hæc aliquando clam persuaderi, ijs præsertim, qui in procul à communi

muni Catholicorum consuetudine sejuncti, aliud de fide nihil audiunt, quam quod illota & mendacia Ministrorum ora crepant; quando Philippus, in ipsius Imperij totius conspectu, in ipsa sua Confessionis Augustanæ Apologia, tam fœdè de Catholicæ Ecclesiæ fide & doctrina mentiri non erubuit, V. G. Catholicos *non vti Christo Mediatore, sed prorsus sepulto Christo*, alia confingere, Catholicos *non docere de Mediatore Christo, quod propter Christum, habeamus Deum propitium*, Catholicos fingere, *Christum tantum primam gratiam nobis promeritum esse*, Catholicos *sine propitiatore Christo accessum habere velle ad Deum*; Catholicos docere, *opera nostra placere sine propitiatore Christo, nec indigere propitiatore Christo*: Item *excluso Christo, docere mereri Iustificationem per opera legis &c.* & similia quam plurima: quæ qui legit, nulla meliori informatione de falsitate edoctus, fieri non potest quin ea vera esse credat; quisquis autem hæc de Catholicis credit, impossibile est, vt Ecclesiæ Catholicæ fidem non condemnet & diris quodammodo deuoueat. Tolle nimirum Prædicantium calumnias, & nihil erit, quod in Ecclesiæ Catholicæ doctrina Christi amator reprehendat. De qua re tamē fortasse propri⁹ aliquando erit dicendi locus.

Hæc in præsentiarum satis dicta sunto, ad eum finem, vt omnes intelligant, nec à Iesuitis, nec à cæteris Catholicis, omnes in fide errantes, etiamsi Lutheri aut Caluini dogmata sequantur, hæreticos censeri aut appellitari; sed qui errori in fide pertinaciam adiungunt, sine qua nulla vera est hæresis, & de qua cum in occulto sæpe pectoris & cor-

Digitized by Google

& cordis lateat, non est Iesuitarum particulatim, iudicare, sed ex parte quidem iudicũ fidei; vniuersim verò ac potissimum eius qui scrutatur corda & renes Deus. Quod si Catholici scriptores aut prædicatores, in suis concionibus, aut libris, Lutheranos aut Caluinistas indefinitè quandoq; hæreticos vocant, id iuxta subiectæ materiæ conditionem, *in suppositione*, vt Dialectici vocant, *accommoda*, ad eos referendum est, qui pertinaciter errores Lutheri vel Caluini sequuntur: quales potissimum sunt ipsi earum sectarum Ministri & Doctores; qui cum vtriusq; partis fundamenta ex officio perspecta habere debeant, meritò præsumuntur, non veniali aliqua mentis ignorantia, sed potius, deprauatæ voluntatis malitia & pertinacia, his erroribus adhærere. Optimè hac de re S. Augustinus: *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid prauumq; sapiunt, si correpti, vt sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Omitto cætera verborum & dictorum nostrorum falsa, & ex nocendi studio prolata interpretamenta: vt quando Boemi Rebelles in sua Apologia secunda nostrum de literis Maiestatis sibi à Rege concessis iudicium, seu verius suspensionem iudicij, ita interpretati sunt, vt dicerent nos *expressè scripsisse*, litteras illas Maiestatis pro libertate Religioni vtraquisticæ concessas, nullas & irritas esse; item quando inscriptionem quandam latinam claui nostri Collegij Pragensis appensam, in eum sensum calumniosè interpretati sunt, quasi esset *clauis Armamentarij*,

Augustin. lib. 18. de ciuit. cap. 51.

Apolog. Societ. contra Boem. cap. 10.

Digitized by Google

cum tamen *clavis armarij* dicta esset. &c.

Vid. Apol. Soc. in Gallia ad Henricum IV. cap. 14. & ex postulationem Apologicam Ludovici Richeomi ad eundem num. 192. Vide Iacob. Gretſ. Relegationem Prædicanticam editam Anno 1613 in præfat.

Tertia fraus Aduerſariorum, quod ad calumniam ſocietati ſtruendam nonnunqaum alienos fœtus & libros ejdem imponunt. Ita olim in Tragœdia Gallicana Ioannis Schadelij Apologiã, aliudq;etiam eiusdem farinæ ſcriptum, ab ipſis aduerſarijs ſuppoſitum, maligni hoſtes Ieſuitis falsò adſcripſerunt. Ita in Comitijs nuperis Ratisponenſibus Anni M DC VIII. cum nonnulli Acatholicorum principum legati seriò commonefaciendos putarent cæteros Imperij ſtatus, de cauendis Ieſuitarum noxijs machinationibus & peruerſis artibus, vtpote quæ in ipſis etiam eorum libris ſatis ſe proderent, libros ipſos ac authorum nomina ſigillatim exprimere iuſſi, ſex nominarunt, nimirum D. Georgium Ederum, D. Jodocum Lorichium, D. Ioanem Piſtorium, D. Andream Fabritium, D. Ioannem Ficklerum, D. Petrum Muchitſch; è quibus tamen palam eſt omnibus, Ieſuitam nullum fuiſſe.

Jeſuiter Poſt port.

Ita nuperrimè hoc ipſo fortaſſis An. MDCXX. occaſione præſentis Tragœdiæ Boemicæ, inter alias famoſas chartas edidit Aduerſarius, totus ira & furore aduerſus Ieſuitas frendens & ardens, libellum germanicum, quem *blaſphema doctrinæ Ieſuitarum capita, ex concionibus ſuper beatificatione Ignatij Loiolæ primi Ieſuitarum fundatoris in Hiſpania habitis deſumpta, & à Sorbona Pariſienſi damnata* inſcripſit: qui tamen liber in eadem ipſa fronte & epigraphe pudendum ſtigma turpiſſimæ & apertiſſimæ calumniæ præſefert, quando ex ipſo libello conſtat,

Digitized by Google

tres illas conciones in beatificatione B. Patris N. Ignatij habitas, è quibus illi, qui obijciuntur, errores fuêre excerpti, nullius Iesuitæ fuisse; sed aliorum quorundam è diuersis Religionibus uirorum Religiosorum: in quibus ipsis tamen quam sincera mens, quam pura & incorrupta fides fuerit, quamq́; animus eorum ab omni hæretico errore nedum blasphemia alienus, edita etiam super hac re propria in Gallijs Apologia contra hæreticorum criminationes & falsationes apertè demonstrauit. Nimirum pensi nihil habent Aduersarij, quidquid aduersus Iesuitas dicant, scribant, faciant, modo damnum illis noxamq́; pariant. Sed hæc de doctrina satis.

Quod verò ad alterum caput pertinet, nempè publicos nostros pro Ecclesia labores, nihil attinet multa dicere, ne commendare nos ipsi videamur potius, quam excusare & defendere. Habent illi Regulas instituti nostri, habemus nós inspectores & testes, imo fautores, patronos, promotores, & laudatores laborum nostrorum summos Reges, Principes, Respublicas, Academias, aliosq́; viros religiosos, seculares, undiquaq́; spectatissimos & grauissimos. Profitemur nos ipsi palam, quis sit scopus noster, quæ vocatio & ratio instituti nostri: nimirum, vt iuxta Regulæ præscriptum, *non solum saluti & perfectioni propriarum animarum cum diuina gratia vacemus; sed cum eadem impensè in salutem & perfectionem proximorum incumbamus.* Ad hunc finem tendunt labores ac munia nostra, quæ erga proximos, non in angulis plerumq́;, sed palam & publicè in- *Exam. cap. 1. § 2. Summari const. Reg. 2.*

cè in-

eè inſpectante vniuerſo mundo exercemus; qualia ſunt, prædicatio verbi diuini, fidei Chriſtianæ & Catholicæ etiam apud Barbaros Indorum populos diſſeminatio, auditio ſacrarum confeſſionum; Catechiſmus puerorum & rudium; Scholæ & inſtructio puerorum in bonis moribus & artibus; prælectiones Academicæ, etiam ſtudiorũ grauiorum, Philoſophiæ & Theologiæ; librorum in omni diſciplinarum genere à viro religioſo non abhorrentium elucubrationes; potiſſimum eorum, qui vel ad tuendam aduerſus fidei hoſtes Catholicam fidem, aut ad veram pietatem Orthodoxorum animis inſerendam pertinent; diſputationes & colloquia ſubinde etiam comminus cum aduerſarijs habita; ægrorum & captiuorum adeoq; Noſodochiorum & carcerum viſitationes & frequentationes; conſilia ſalubria ad ſalutem ſpectantia cuilibet hominum generi impertienda; deniq; vt ſummatim dicam, quidquid exemplo vitæ religioſæ, orationibus & ſacrificijs quotidianis Miſſæ, verbo doctrinæ, calamo erudito & religioſo, monitis & conſilijs, non iniquis, ſed pijs publicè priuatimq;, domi ſeu foris, ad noſtram, aliorumq; ſalutem procurandam, conſequi poſſumus, id cum diuinæ gratiæ auxilio, effectum dare conamur; etiam in hoc ipſo tamen minus ſubinde quam par eſſet, ſeduli ac ſtudioſi; quia & nos homines ſumus; & *in multis offendimus omnes*. Quanquam non deſunt inter Noſtros etiam athletæ fortiſſimi; qui *vsq; ad ſanguinem* pro veritate & virtute pugnantes *reſiſterent*; quando breui hoc tempore, quo ſtetit

Iacob. 3. V, 2.

ſocietas,

Digitized by Google

societas, plures quàm centum Martyres, Religionis caussà variè ab infidelibus trucidatos numerat.

Neq; vel ipsi Aduersarij nesciunt, aut dissimulãt non solũ eum esse laborum nostrorũ scopum, sed nec dolor finit eos dissimulare fructũ, qui sequitur, quem ipsi quidem imprimis oderunt; nos autem Deo omnium bonorum auctori, non nobis ipsis tribuere par est. Ita delirus ille Calumniator in sua declamatione germanica, ex impuro Argentoratensis Magistelli calamo translata ait: *Hic*, inquit, *serias nugas tracto, pura id est & sincera veritas, quod iam dicturus sum: dum scopum & finem excitati et incboati Iesuitici ordinis, planè & disertè exponam. Est autem scopus iste vt confractum Romani AntiChristi regnum*, (ita Antichristi mancipium de Romano pontifice & Ecclesia Catholica loquitur) *in vniuerso mundo denuo restaurent, reficiant, & erigant, adeo vt nunquam antea tanta gloria & flore viguerit & viruerit: ex aduerso autem, vt Christi Euangelium & Ecclesiam* (Lutheri, Caluini, Zvvinglij pseudo Euangelium intelligit) *quæ jam ex tenebroso Papatu non nihil in lucẽ emerserat, & toto orbe diffundi, ac in omnibus locis ad Cœlum usq; se extollere cœperat, ita opprimant, dissipẽt, & exstirpent, vt nunquam de illa amplius quidquam audiatur, sed plane in nihilum redigatur. Paucis hic multa comprehendo. Magna illi & planè terribilia minantur: ad quæ suam etiam ipsi operam quouis modo & ratione, die noctuq;, terra mariq;, veluti fidelissimi executores & administri, sine omni tergiuersatione, minimè renuunt impendere; sine ulla mora vel cunctatione, peculiari Iuramento patri suo Papæ obstricti, & obedire parati, veluti perpetui eius serui & mancipia.* Ita

Postpart der Jesuiten.

hic Nouator; qui nec sine fundamento, Romani Pontificis hic meminit, cui nos peculiari quidem voto obstricti sumus, sed non nisi ad salutem animarum ubiuis locorum medijs licitis & honestis procurandam; maximè inter infideles.

M. Iohannes Faber & Ioannes Gerardus Ministri Saxonici Coburgenses in refutatione Discursus Austria. part. 2. cap. 7. § 40. fol. 94.

Ad eundem modum scripserunt paucis ante annis alij quidam Ministri pseudo Euangelici, his ipsis verbis germanicis: Es were mit dieser (Catholischen) Kirchen vast gar auff die todte neige kommen/ vnd were wol gar zu boden gefallē/ wo nit *pernitIESVITÆ* die hellosen Jesuiter/ jhr wider ein wenig mit jhren geschwinden Practicken hetten auff die baine geholfen. Hoc est: *Actum iam fuisset propemodum cum hac Ecclesia* (Catholica) *eaq́ planè tota corruisset; nisi eam pernitIESVITÆ, inutiles inquam, Iesuitæ, promptis suis consilijs & machinationibus nonnihil rursum erexissent.* In eundem sensum hoc ipso Anno nuper scripsit quidam pseudonymus Boëmorum Agyrta: inter cæteras causas conseruatæ sedis & Ecclesiæ Romanæ vnam esse Societatem Iesu. Ita ergo de Jesuitis scribunt nostri aduersarij.

Vt tamen videant, nos eorum testimonijs ac præconijs minimè indigere; quando eadem, quæ de nobis ipsi quamuis inuiti contestantur, augustissimi & potentissimi Reges & Imperatores multo grauiori præconio palam deprædicant; unius tantùm Ferdinandi I. Pientissimæ quondam ac felicissimæ memoriæ Imperatoris literas subijciam: quæ eò magis ad institutum præsens facient, quòd pro nostra imprimis societate in prouincia Austriæ constituta, quæ vti nunc præsentibus calamitatibus

tatibus

Digitized by Google

tatibus vel maximè iactatur; ita aduersariorum calumnijs pręcipuè impetitur conscriptæ sunt. Sic ergo habent literæ fundationis Collegij Viennensis Anno MDLXIII. 1. Octob. Viennæ expeditæ: *Ferdinandus diuina fauente clementia, Electus Romanorũ Imperator, semper Augustus, ac Rex Germaniæ, Hungariæ, Boemiæ &c. Recognoscimus pro nobis, Hæredibus & Successoribus, Regibus &c. Quòd cùm à multo tẽpore afflictissimorum Regnorum nostrorum, Germaniæ, Boemiæ, Hungariæ, & Prouinciæ inprimis Austriæ statum, maximè quoad Religionem nostram Catholicam, usq́quaque fere retroactis annis expulsam & profligatam, diligentius perpendissemus; eumq́ eiusmodi esse reperissemus, vt nisi breui de oportuno aliquo remedio illi dispexissemus, actum profectò de miseris illis Reliquiis prælibatæ nostræ Religionis Catholicæ (præsertim inualescentibus tot tantisq́, de die in diem, nouis hæresibus) intra breuissimum tempus; cuiq́ vel mediocri iudicio prædito videri potuerit; sanè ea cura & cogitatione nihil prius, aut posterius habuimus, qaum vt huic malo efficacissimum remedium inueniremus.*

Quandoquidem itaq́ de almæ societatis Iesu insigni pietate aliisq́ innumerabilibus virtutum meritis; nec non sedulo & incomparabili eorum, in instituenda juuentute, tam moribus Christianis, quam in bonis omnis generis literis, diligentia, in habendisq́ concionibus ad populum ipsum assiduitate, multorum fide dignorum relatione, atq́ experimentis, exemplisq́ non modo Pragensis, Oenipontani, & Tyrnauiensis Collegiorum, quæ à nobis clementer sunt instituta annis prioribus; sed multò amplius atq́ uberius, Cæsarei hujus Collegij nostri societatis ejusdem, quod multis ante annis hic Viennæ, easdem ob causas instituimus, edocti essemus, facile

tile induximus animum, vt quemadmodum eos in hanc tam glorioſam & luxuriantem meſſem ſcriptis de eo, tum ad ſummũ Pontificem Romanum, felicis recordationis Paulum III. tum ad Generalem Præpoſitum, ejuſdem ſocietatis primum inſtitutorem, M. Ignatium de Loiola, bonæ memoriæ, quam gratiſſimis literis euocauimus, &c.

Quemadmodum verò illi, pro eorum in Rempub. ardore, eiusmodi noſtris poſtulatis minimè cunctantes annuerunt, hanc noſtram Regiam ciuitatem Viennenſem, nulla habita ratione tam longinqui itineris, nec non eorum diſcriminum, quæ tum eos, bellis vbiq; paſſim flagrantibus, manebant, quam ſtudioſiſſimè appuliſſent; ita quoque Nos nihil certè tam proprium officij noſtri duximus, quam vt illis confeſtim de honeſta annua ſuſtentatione, ac certo loco vbi ſeſe pro eorum inſtituto, exercere, ac gratiam illam, quæ illis diuinitus conceſſa eſt, populis noſtris, ac fidelibus ſubditis communicare valerent, inprimis prouideremus.

Quare Nos pro Religionis Zelo, ad conſeruandam veram fidem Catholicam, ratione inſtitutionis puerorum, educationis doctorum virorum, ac præcipuè Cleri, Almæ ſocietatis Ieſu moti, ſequentem fundationem ac ordinationem fecimus, inſtituimus. &c. Datum Viennæ Auſtriæ. vt ſupra.

Matth. 16. Vide Laurent. Sur. Comment. hiſt. An. 1540. Florimundum Ramund. de ortu, progreſſu & ruina hæreticorum, part. 2.

Nos verò licet tantum arrogare nobis minimè audeamus; & verò etiam abſq; ſocietate noſtra, Deo non defuturum fuiſſet medium, ſuam Eccleſiam aduerſus hoſtes tuendi propugnandiq; vtpote nunquam inferorum portis ſubuertendam; grata tamen ſimul, qua par eſt, mente una nobiſcum cæteri etiam Catholici agnoſcunt, benigniſſima diuinæ prouidentiæ diſpoſitione ita accidiſſe, vt

ſe, vt

Digitized by Google

se, vt Lutheri nouatorumq; aliorum studijs noua, hæc & minima societas nostra opponeretur; quæ docendo, disputando, scribendo, alijsq; modis & medijs, impios nouatorum conatus obtunderet.

Quod si verum dicere fas est, hæc ipsa planè est vera, propria, & genuina causa, ob quam Aduersarij adeo nos acerbo odio insectantur; & tum alia in nos conuitia, tum hanc ipsam calumniã ingerunt, turbatores esse nos pacis publicę. Hispanos nimirum viribus vti putant, externis, Iesuitas verbis, suis obstare conatibus indolent; propterea ab vtrisq; cauendum, vtrosq; pacis ac libertatis stabiliendæ causa ex imperio procul arcendos & eliminandos clamant. Ita & lupi cũ ouibus olim pacem depaciscebantur, si canes & pastores submotos vellent. Et verò impijs hoc semper in more fuit, vt hac potissimum accusatione & calumnia veros Euangelicæ doctrinæ præcones opprimere satagerent; & vt quos ipsimet tumultus ac seditiones falsæ Religionis causa temere concitauerant, in Christum & Apostolos refunderent. De Christo dicunt, *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram*; Item, *Commouet populum docens per vniuersam Iudæam*; de Apostolis: *Hi homines conturbant Ciuitatem nostram* Item; *Hi sunt, qui vrbem concitant*. Quare nos etiam hæ criminationes minime terrent; satis nobis est ad solatium exemplum Christi & Apostolorum; præsertim disertæ præmonitioni adiunctum; *Non est seruus maior domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur*. Doctrina nostra, mores nostri, personæ nostræ facile probarentur aduersarijs, omnia; si ad-

Luc. 23. v. 2.
Act. 16. v. 20. & cap. 17. v. 6.
Ioan. 15. v. 20.

si aduersa studijs eorundem non essent: immo quamuis vita fidesq; nostra contraria ipsis forent, tolerabiliora viderentur, si nobis ipsis solis crederemus, solis viueremus, nec ad proximos nostros bonum utriusq; & veræ fidei, & probæ vitæ transfundere tam enixè conaremur.

Sed non possumus deserere officium & vocationem nostram; scimus, non omnium fidelium, non omnium etiam Religiosorum, hoc esse munus, ex instituto vacare saluti proximorum procurandæ; quos vti Aduersarij idcirco minus oderunt, ita à nobis amari & honorari vicissim par est; quādo pijs eorum ad Deum precibus nostris etiam munijs & laboribus vim non exiguam roburq; accedere confidimus; sed uti sunt diuersa religiosorum, eademq; sacratissima instituta, quibus Ecclesia Catholica, veluti spōsa, vario ac quasi polymito amictu mirificè splendescit, ita nos nostram spartam tueri vocationemq; sequi par est; à summis pontificibus approbatam, à Concilio Tridentino laudatam; à summis Regibus & Principibus Christiani orbis non tantum patrocinio defensam, sed etiam regio sumptu & liberalitate quam plurimis Collegijs ac sedibus fundatam, auctam, & propagatam, ac demum fideli populo toto propemodum Christiano orbe gratam & exoptatam.

Concil. Trid. sess. 25. cap. 16 de Regul.

Nouimus inter animarum procuratores, reprehendi non solum *speculatores cæcos*, qui periculum non aduertunt; sed etiam *canes mutos, non valentes latrare*: in quos etiam conuenit illa Prophetæ comminatio; *Si speculator viderit gladium venientem & non*

Isai. 56. v. 10. Ezech. 33. v. 6.

*& non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, venerit*q́ *gladius, & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram.* Gladius imminens est hæresis & impietatis periculum, de quo cauendo si animarum procuratores non admonuerint populum, rei alienæ damnationis efficiuntur, ac proinde sibimet etiam ipsis sempiternum exitium conflant. Quare Apostolus: *Si Euangelizauero,* inquit, *non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit; væ enim mihi est, si non Evangelizauero.* 1. Cor. 9. v. 16.

Ignoscent ergo nobis Aduersarij, si instituti nostri memores, in hoc enixè incumbamus, vt fœda hæresis scabies arceatur à sano pecore; & sanetur etiam, quantum fieri potest, in infecto: resistat hoc licet aliquando, & reluctetur medentibus; quia medicamenti acrimoniam sentit; Charitatis tamen sæpè est, vel importunè ingerere ægrienti, quod sanet; idq́; ipsum de illis, qui se nunc Aduersarios nostros profitentur, non planè desperamus; facile enim est Deo, etiam *de lapidibus excitare filios Abrahæ,* & Apostoli monitum est, *seruum Domini non oportere litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati; ne quando DEVS det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Tim. 2. v. 24.

Quod si qui etiam, Pharisæorum mores induti, ex eo Charitatis studio scandalum præseferant, ne sic quidem veritatem doctrinæ prætermittendam didicimus. S. Gregorij monitum est, *Si de veritate* S. Greg. homil. 7. in Ezechi.

Digitized by Google

veritate scandalum præsumitur, vtilius nasci permittitur scandalum, quam quod veritas relinquatur. Et Christus ipse de Pharisæorum scandalo ex doctrina eius
Matth.15. conceptoà Discipulis monitus, non propterea deseruit prædicationis officium, aut doctrinæ veritatem; sed scandalum potius Hypocritarum neglexit, negligendumq; docuit. *Sinite*, inquit, *illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Vbi Glossa: *Dimittendum est*, inquit, *propter scandalum omne, quod potest prætermitti, salua triplici veritate scilicet vitæ, iustitiæ, & doctrinæ.*
S.Thomas.2.2. Etsi bene nihilo minus monuit S. Thomas hoc lo-
q.43.a.7.ad 2. co obseruandum, *vt veritatem non temere, sed secundum congruentiam temporis, & personarum, proponat ille, cui incumbit docendi officium.*

Atq; ex his breuiter habent, non solum Aduersarij, sed & alij quicunq; veritatem amant, rationem doctrinæ, & laborum nostrorũ quos Ecclesiæ Christi impendere studemus; ex quibus liquidum est, nullam turbatę pacis culpam penes IESVITAS residere. Particularia vero, quæ in hoc genere obijciunt, accusationis capita in Apologia nostra satis refutata sunt, quæ nil opus est hoc loco repetere.

Qua ratione etiam necesse non est, sigillatim refutare famosa illa aduersus societatem scripta, dudum quidem conscripta, sed occasione Boëmicæ Tragœdiæ, ab Anonymis quibusdam Caluini asseclis denuo recusa vt dictum, & partim etiam in linguam germanicam translata; quæ iam dudũ accuratè & solidè à nostris alijsq; Doctoribus refutata sunt, vt ex hoc breui Catalogo ipsorum librorum, qui iam nobis denuo obijciuntur, lector discet.

Digitized by Google

ſcet. Eliæ Haſenmulleri Mendaci *hiſtoriæ Ieſuiticæ*, à Polycarpo Leyſero editæ, & iam denuò recuſæ, oppoſita primum fuit Anno M. D. XCIII. *Apologia pro ſocietate* IESV, à Reuerẽdo admodum & Magnifico Domino Doctore Petro Steuartio, tunc Profeſſore Theologo, & Parocho Ingolſtadienſi, nunc Vicario Generali Leodienſi. Secuta eſt deinde *integra refutatio* eiuſdem à Iacobo Gretſero Societatis noſtræ Theologo Latine edita Anno M. D. XCIV. & poſtea etiam in linguam Germanicam conuerſa à Reuerendo Domino Cleopha Diſtelmair, Presbytero Auguſtano. Contra *Arnaldi* Aduocati *Philippicam*, aliorumq; in Galllia Caluiniſtarũ veteres Calumnias, aduerſus Societatem, extat *duplex Apologia*, altera Frãciſci Montani; altera ipſius Societatis in Gallia ad Chriſtianiſſimũ Galliæ & Nauarræ Regem Henricum IV, quam vtramq; latinè reddidit, partim etiam adiecta appendice auxit, & contra recentiores quoſdam calumniatores defendit, Iacobus Gretſerus. Stephani Paſquieri, vti & Anticottoni Gallicanorum Caluinicolarũ calumnias aduerſus ſocietatem retudit Ludouicus Richeomus, partim *in querela Apologetica* ad Regem Galliæ, partim in *Examine Categorico* contra Anticottonũ edita. Eundem Anticottonum, atq; etiã Torturam torti, ad examen reuocauit Andreas Eudæmon Ioannes, partim in *Parallelo Torti ac tortoris*; partim in *Confutatione Anticottoni*. Relationem *de modo agendi Ieſuitarum*, contra Anonymi cuiuſdam criminationes; primum Italicè editam, duobus libris refutauit Iacobus Gretſerus Anno M. DC.

Noua

Noua nouorum, seu relationem *de Iesuitarum studijs abstrusioribus*, contra Ioannem Combilhon, refutauit idē Gretserus, Anno M. D C. IX. ac simul etiam Germanicè transtulit Conradus Vetter; à quibus etiam postea Anno M.D.C X. & M D C XII. *duplex* accessit *Apologia* eiusdem libri, Latinè itidem & Germanicè edita, *contra furias Prædicantium* Augustanorum. *Aphorismi doctrinæ Iesuitarum* ab Anonymo Caluinista editi, refutati fuère à duobus Societatis nostræ Theologis, Martino Becano, & Sebastiano Heissio, Anno M DC IX. *Relegationi* aduersus *Iesuitas*, Andreæ Lonneri Argētoratensis Luthero-caluinistici Magistelli, opposita est eiusdem argumenti parodicè retorta *Relegatio* Lutheranorum & Caluinianorum *Prædicantium*, ex Imperio, ab eodem quem supra diximus Iacobo Gretsero edita Anno M DC XIII. Calumnias Poloni Calumniatoris, quas ipse *Monita priuata Societatis* inscripsit, refutauit idem Iacobus Gretserus tribus libris Anno M DC XVIII. Angli alij, qui Religionem Catholicam, ac simul Societatem nostram oppugnarunt, habent Bellarminum Cardinalem, Gretserum, Becanum, Eudæmon Ioannem, vindicesq́. Huc spectant etiam plures Apologiæ Gretseri contra Lithum Misenum, & Lermæum Caluinistas, vt & apologeticus eiusdem aduersus librum, qui *Introductio in artem Iesuitarum* inscribitur. Deniq; nuperam illam admonitionem Germanicam Caluinistici cuiusdam tenebrionis, de *Cauendis Hispanis & Iesuitis*, adeo solidè refutauit Reuerēdus & clarissimus Dominus Georgius Riedel, S. Theologiæ Doctor & Deca-

Decanus Collegiatæ Ecclesiæ ad SS. Martinum & Castulum Landishutæ, in suo, vti vocat, Draconicidio, vt ea neminem fallere possit amplius, nisi qui falsum ipse & imposturas consultò amet.

Hoc postremo vniuersim contra eiusmodi libellos præsertim Anonymos, aduersus Societatem calumniosè scriptos moneo; eos, cùm perperam, & absque legitima via Juris, in famam alienam grassentur, libellos famosos esse, quibus non solum vtroque Jure fides & auctoritas abrogatur; sed eorum etiam vsu & communicatione omnibus interdicitur; grauissimis simul pœnis in auctores, propagatores, & retentores decretis. In Iure Canonico extat decretum Adriani Papæ, in hunc modum: *Qui in alterius famam publicè* (seu in publico) *scripturam, aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probauerit, flagelletur: & qui ea prior inuenerit, rumpat, si non vult auctoris facti causam incurrere.* Causa 5. q. 1. Can. 1.

Et S. Gregorius Papa: *Quia*, inquit, *quisquis veraciter loquitur, semetipsum innotescere nō debet formidare, oportet, vt publicè exeat & quæcumq; in contestatione sua loqui præsumpsit, ostendat. Quod si non exierit, neq; Publicè confessus fuerit, quisquis ille sit, qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex DEI & Domini nostri IESV Christi Spiritu definimus, vt Sancti eius Corporis & sanguinis participatione priuatus sit. Si vero quia latet, & quoniam nescitur, teneri ad disciplinam non valet, si tanti mali conscius, etiam probibitus, Corpus & Sanguinem Domini percipere præsumit, Anathematis vltione percussus sit, vt fallax ac pestifer à sancta Ecclesiæ corpore sit diuisus.* Ibid. Can. 2.

Leg. 5. Codic. Theo. de famos. Libell.

Ex Jure Ciuili extat imprimis Lex Imperatorũ Constantini, Constantis, & Constantij, quæ ita habet: *Libellis, quos famosos vocant, abolendis, inclitus Pater noster prouidit, & huiusmodi libellos ne in cognitionem quidem suam, vel publicam, iussit admitti. Non igitur vita cuiusquam, non dignitas concussa his machinis vacillabit: nam omnes huiusmodi libellos concremari decernimus.*

Leg. Vn. Cod. de famosis Libell.

Et rursum Imperatores Valentinianus & Valens ita decernunt: *Si quis famosum libellum, domi, siue in publico, vel quocunq; loco ignarus repererit, aut corrumpat, priusquam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum. Si vero non statim easdem chartas vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestauerit, sciat, se quasi authorem huiusmodi capitali sententiæ subiugãdum.* Et infra: *Huiusmodi autem libellus alterius opinionem non lædat.*

Leg. 5. Lex Cornelia, ff. de iniurijs.

Deniq; Vlpianus: *Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, ediderit, dolouè malo fecerit, quò quid eorum fieret; etiamsi alterius nomine ediderit, vel sine nomine; vti de ea re agere liceret: & si condemnatus sit, qui id facit, intestabilis ex lege esse iubetur. Eadem pœna ex senatus consulto tenetur etiam is, qui Epigrammata, aliudue quid sine scriptura, in notam aliquorũ produxerit: item qui emendum vendendumuè curauerit.* Ita Jura statuunt de libris eiusmodi famosis, quos Aduersarij plena iam manu, tum in Societatem, tum in ipsam etiam Religionem Catholicam spargunt. Sed qui aliquando, nisi resipiscant DEVM ipsum vindicem experientur, quando hominum in terris iudicium vltionemq; contemnunt.

CAPVT

CAPVT V.

Causam, & culpam bellorum ac tumultuũ, quibus Germania ac finitimæ Prouinciæ, Religionis causa, Annis iam ferè centum infestata fuère, sustinere inquietum noui Euangelij spiritum, ad concitandas turbas natum.

QVoniam Aduersarij Catholicis, ac præcipuè Iesuitis, impingunt bellorum, ac tumultuũ causam, non ægrè feret quisquam, si nos æquo retorsionis Iure, atq; etiã publici boni studio, veram eiusmodi turbarum originem causamque breuiter ac dilucidè ob omnium oculos proposuerimus: quod ita fiet cõmodius, si primũ vniuersim inquietum quinti Euangelij spiritum, ex ipsomet inprimis eius auctore & primo disseminatore Luthero repræsentauerimus: vt hinc eo facilius peruideant omnes, quod sequẽti capite dicturi sumus, eundem ipsum etiam turbulentum spiritum, pacis & Catholicæ religionis inimicum, aduersarios ad præsentes tumultus concitandos permouisse.

Ad Lutherum igitur quod attinet, verè is dici talis potest, qualis iam olim à S. Cypriano Martyre describitur Antiquus, & celebris quondam Hæresiarcha Nouatus: *Fax & ignis ad conflanda seditionis incendia; turbo & tempestas, ad facienda fidei naufragia; hostis quietis, tranquillitatis Aduersarius, pacis inimicus.* *Cyprianus Epist. 49. ad Cornelium.* Testantur hoc aperte Scripta, & dicta Lutheri.

Digitized by Google

Primum enim quam plenum impietatis, & perfidiæ est hoc, quod ab eo olim non solum subditi aduersus legitimum Magistratũ concitati, sed etiam omnis Christiani Magistratus Auctoritas fuit abrogata; & quis nõ videt ea ratione seditiones, & tumultus necessariò enasci, omnemq; Politiam, & Ordinem in Repub. euerti? Sic enim ait: *Inter Christianos non debere, nec posse esse Magistratum, sed esse omnes inter se æquales.* Et ad ipsos summos Principes impudentissima Oratione conuersus: *Non fiet*, inquit, *non potest esse, non est cuiusquam voluntas, vt vestra, ô Principes, Tyrannis, ac petulantia diu posthac toleretur.* Quis autem Iesuitarum, aut Catholicorum, vnquam ita aduersus Principes Acatholicos quantumuis Religionis professione Aduersarios scripsit?

Lutherus Tom. 2. Ien. Germ. fol. 201. B.

Deinde quis Catholicorum vnquam tam seditiose, & atrociter, contra vllum Acatholicorũ statum ad Arma conclamauit, quam Lutherus, aduersus Romanum Pontificem, omnesque Catholicos, qui fidem, & obsequium suum in Religionis causis Romano Pontifici obligatum habent? *Mihi vero videtur*, inquit Lutherus, *si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, quam vt Imperator, Reges, & Principes vi, & armis accincti aggrediantur has pestes Orbis Terrarum, remq; nõ iam verbis, sed ferro decernãt, &c. Si fures furcâ, si latrones gladio, si hæreticos igne plectimus, cur non magis hos Magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrũpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus?* An vero hic ille est Spiritus pacis, an dissensionis?

Luth. ad Syluest. Epist. Resp. fin. Tom. 1. VVitt. lat. fol. 195.

Et

Digitized by Google

Et alibi rurſum contra Catholicam Eccleſiam Claſſicum canens: *Eia*, inquit, *adſint, & manum admoueant, Imperator, Reges, Principes, & quiſquis manum admouere poteſt. Pereant hic ignauæ manus. Et primum quidem adimatur Papæ Roma, Romandiola, Vrbinum, Bononia, &c.* Mox vero monet, vt *Papæ, Cardinalibus, & quicunq;*, inquit, *Idololatriæ ipſius, ac profanæ ſanctitatis Socij, ac familiares ſunt, tanquam ſacrilegis linguæ retro ceruice perforata extrahantur, & clauis patibulo affigantur*; item vt *omnes Iſti ſimul vinculis conſtricti in mare Tyrrhenum præcipitentur, &c.* Et *O*, inquit Lutherus, *quam mihi ſanguis, & caro bullit, & prurit; quam libenter Papatum male mulctatum cerneret.* Et quis Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum virorum, vel in ipſos Nerones, Caligulas, Diocletianos, ſummos Chriſtianorum perſecutores, & Tyrannos vnquam tam acerbo, & ſanguinolento calamo vſus eſt? *Luth. aduerſus Papatũ, Tom. 8 Ien. Germ. fol. 845. A.*

Sed nihil in hoc genere atrocius dici poteſt, quam quod Lutherus alibi aduerſus Vniuerſum Ordinem Eccleſiaſticum quaſi ex ipſis Erebi faucibus eructat: *At hic*, inquit, *obijcient periculum eſſe, ne excitetur tumultus, contra Epiſcopos illos, & Principes Eccleſiaſticos. En reſpondeo: ſcilicet ideo negligetur Verbum Dei* (recens in Lutheri cerebro natum,) *& peribit totus Populus? &c. Huc huc nunc attendite vos Epiſcopi, imo Epiſcoporum vmbræ; Doctor Lutherus, ille à vobis toties damnatus bullam, & edictum vobis leget non valde teneris veſtris auribus placiturũ: Omnes quicunq; eò rem, honorem, ſanguinem, vitam impendunt, vt hi Epiſcopatus pompatici, & aulici, tam remoti, & alieni ab omni functione Apoſtolicâ, præſertim miniſterio Verbi, totumq; hoc Satanicũ Regnũ, euerta-* *Luth. aduerſus falſo Nominat. ord. Eccleſiaſt. Tom. 2. Latin. VVitt.*

euertatur, & extinguatur; aut si re ipsa eis extinguere non licet, contra clamant, damnant, & tanquam abominationẽ vitant, hi sunt filij Dei, & veri Christiani, pugnantes, & decertantes, fidemq; Euangelij adiuuantes contra portas inferni, (quibus ea fides tamẽ dudum oppressa iacebat.) *Contra, qui Regno Episcoporum tam impio, tam Tyrannico, tam Sathanico Phalarismo fauent, & ei libenter obediunt, & subditi sunt, hi Satanæ Ministri sunt, contra verbum legis, & sanctiones Dei hostiliter pugnantes.* Ita pestifer hic Turbo, contra *Verbum legis, & sanctiones Dei*, Ecclesiæ, non Sacrilego Apostatæ commissas, hostiliter debacchatur. Scilicet hoc est pacem colere, amicè cum dissentientibus in fide, & quidem Antiquitatis iure potioribus, agere, bella, & seditiones non excitare, sed fugere.

Sed & eodẽ Seditionis Spiritu, Lutherus, bellum quod in Catholicos maledica linguâ accẽdere tentauit, in Turcam immanissimum totius Christiani nominis hostem penitus interdixit, vtrobiq; impius in Christianum nomen, & seditiosus: hic quia contra hostem iuratum non defendi, illic quia hostiliter opprimi voluit.

Luth. Tom. 2. lat. VVitt.

Quam enim exitiales in Politiâ Christiana hæ Lutheri voces? *Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos.* Et ibidem: *Qui habet aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen sub Cælo valet.* Ita Lutherus, qui tamen alibi (in visitatione Saxonicâ) ipsemet fatetur, *sermonem seditiosum esse eorum, qui clamant, Turcis non esse resistendum, &c.* scilicet immemor, eorum se ipsum antea Primipilum fuisse, & Antesignanũ.

Luth. Tom. 2. lat. VVitt. fol. 116. B. in assert. art. 34.

Eodem

Luth. Tom. 2. lat. VVitt. & Tom. 2. Ien. Germ. fol. 535. B.

Eodem ſpectat, illa ſeditioſa Lutheri Oratio: *In fine Chriſtianos omnes adhortor, ſeu potius obteſtor vt mecum coniungant preces ſuas pro tam miſeris, & faſcinatis Principibus, quos Deus citra dubium inflammatus irâ, tanquam peſtes, & Alaſtoras immiſit nobis, ne temerè conſentiamus ad ſuſcipiendam expeditionem, aut conferendas pecunias* (in germanico eſt, *ne obtemperemus bellando, aut quidquam contribuendo*) *aduerſus Tyrannum Turcicũ; cum Turca longe ſolertia, conſilio, integritate, moderatione noſtros Principes antecellat. Num ſperandum eſt, tam inconſideratis, tam improuidis contra Turcam Ducibus omnia ſecunda* (quidquam ſecundum) *fore, qui extremè adeo tentare Deum, & blaſphemijs afficere non verentur? Hic enim vides, quam putre, & fragile cadauer* (Cæſarem intelligit) *cui nunquam fuit exploratum, ſe ad veſperam vſq; victurum, arroganter iactitet, ſe verum ſummumq; Fidei Catholicæ defenſorem.* Ita Lutherus, verus ipſe potius Alaſtor, & peſtis Eccleſiæ, turbo pacis, & flabellum ſeditionis, contra ſummum, & legitimum Magiſtratũ, impie, ſeditioſè, proteruè, calumnioſè ſcripſit; zelũ interim Dei, ac diuini honoris ſimulãs, vt eo pallio ſuam effrenem impudentiam, & calumniandi libidinem contegat, quaſi vlla in Deum ſit iniuria, cùm ſe Chriſtianus, & Catholicus Princeps, Chriſtianæ, & Catholicæ Eccleſiæ defenſorem, officij ratione, appellat: quaſi non hoc ipſum præcipuum ſit Chriſtianorum Principum munus; quaſi vero etiam hoc plus ſit maioremq; Deo & Eccleſię contumeliam inferat, quam cum ſe quis Nouitius Terræ filius, poſt mille quadringentos Annos fidei & Eccleſię Chriſtianę elapſos, nouum ſe fidei Chriſtianæ

stianæ reparatorem, Ecclesiæ totius reformatorẽ, & Euangelij antea sub scamno, & in puluere plus mille annis sepulti instauratorem, nouum itẽ Prophetam, Apostolũ, & Euangelistam iactare audet; vt impudentissimè fecit Lutherus, contra apertissima ipsius Dei promissa, & diuinæ scripturæ oracula; quibus constat *Verbum Dei* (in cordibus, non chartâ solum descriptum) *manere in æternum*, Ecclesiam esse *columnam, & firmamentum Veritatis*, & *portas Inferni aduersus eam non præualituras*. Sed omitto hos Lutheri in Ecclesiam Catholicam, inque supremæ Ecclesiæ Catholicæ Capita, non tam seditiosi pectoris, quam rabiosæ belluæ feroces rugitus, ac nocentissimos morsus, ne vel relatione sola vberiore aërem inficiant, & graui quam exhalant mephiti honestas lectoris nares feriant.

Isai. 40. & 8. 1. Timoth. 3. Matth. 16.

Hoc potius videamus, quid Lutherus de suo, vti vocat, Euangelio palam ipse, apertisque verbis profiteatur, vt intelligamus, quam non recte in Catholicæ Ecclesiæ doctrinam & gremium, seditionis tumultuumq; culpa conferatur: quæ ipsius Lutheri confessione penes nouũ ipsum, non à Deo vtiq;, sed à maligno hoste inspiratum Euangelium residet. Sic enim planè Lutherus in Postillâ suâ Germanicâ olim delirauit: **Darumb muß es rumort seyn/ wo das Euangelium ist/ vnnd das Bekandtnuß Christi/ dann es stosset alles für den Kopff/ was nicht der Art ist.** Hoc est: *Quocirca necessarium est, vt rumores, seu tumultus concitentur, vbi Euangeliũ* (Luheri) *est, & confessio Christi; quia ad caput ferit* (seu hostiliter in id omne incurrit) *quidquid eius indolis non est*: hoc est quid-

Luth. Postilla German. in 4. VVitt. Anno 1526. fol. 95. A. Sabbatho post assumpt.

quidquid Catholicum, quidquid antiquæ fidei adhærens, quidquid Orthodoxum est. Quanquam in posterioribus aliquot editionib' ea Lutheri verba, ab ijs, quos tanti probri pudebat, mutata, & prætermissa fuerint.

Sed & alibi contra Emserum nõ tam agnoscit, quam gloriatur Lutherus, hanc velut appendicem, & coronidem esse *firmissimæ suæ demonstrationis, se in Dei nomine cœpisse, verumq; Dei verbum docere, quod sua doctrina discordias excitet, idq; ni faceret,* dudum sibi animum, viresq; defecturas. Item *opus hoc, ac tumultus eiusmodi propriam ait esse indolem diuini Verbi: iuxta illud Matth. 10. Nolite putare quia veni pacem mittere in Terram; non veni pacem mittere, sed gladium & iurgia.* Vbi Lutherus ex suo cerebro Scripturæ textui affixit vocabulum, *Jurgia,* quæ tamen certe Terris immittere non venit Christus, sed separationem à propinquis ad Apostasiam trahentibus, quam gladij nomine designauit, vt superius dictum. Addit in eodem loco Lutherus: *Omnes pugnas, & bella veteris testamẽti fuisse figuras prædicationis Euangelij, quod potest, & debet, pugnas, discordias, iurgia, & tumultus excitare.* Et quid mirum, in rebus desperatis, Lutherum hinc etiam subsidium postulasse, suæ innocentiæ, & operis bene in Dei nomine inchoati, qui alias de ea re dubius, sibiq; parum bene conscius erat: quãdo ita in *Responsione ad hircum,* vti vocat, *Lipsiensem,* ipse potius hirci petulci nomine dignus scribit: *Cor meũ ita affectum est, vt putem, me in Dei nomine hoc opus aggressum esse: non tamen eius sum audaciæ, vt de eo iudicium feram, prædicemq; publicè, pro certo aliter non esse: nollem libẽter diuinum iudiciũ super hac re sustinere.* Vt vel hinc fide dignis-

Luth. Tom. 7. VVit. Germ. fol. 147. A. §. 1. 2. 4.

Vid. Diopt: Ad. Tann. l. 2. c. 25.

Vide cap. 2.

dignissimum reddatur, quod Cochlæus ex Emsero oculato teste, inter consiliarios Illustrissimi quondam Saxoniæ Ducis Georgij Lipsiæ effudisse scribit, Lutherum: *Rem istam nõ esse propter Deum cœptam, nec propter Deum finiendam.* Deniq; alibi totum quodammodo pectus suum effundit Lutherus, vt demonstret quam eiusmodi seditiones ac tumultus à suo, suiq; Euangelij Genio non sint alieni. *Mihi quidem profecto*, inquit, *summum Cordis est gaudium, & voluptas, videre quòd propter Verbum Dei dissensiones, & discordiæ nascantur; quia hæc Verbi Dei* (imo Lutheri) *indoles, cursus, & felicitas est.* Hactenus Lutherus. Similia alia quam plurima, & quidem maledicentissima, & spurcissima, in summos Principes conuicia Lutheri referri possent; sed quibus referendis hoc loco consultò supersedemus.

Luther9 in suis Actis An. 1521. contra Papatũ. Tom. 9. VVitt. Germ. fol. 109. B. § 4.

Ex ij quæ Sola necessitate coacti, ad nostram, & Ecclesiæ Catholicæ innocentiam tuendam retulimus, iudicet lector, male ne Augustissimus Imperator Maximilianus Anno MDXVIII. de Luthero eiusq; Symmystis ad Leonem X. Pontificẽ scripserit, *ijs pestilentiores Christianæ pietati nullos contigisse; hùc tantum spectantibus, vt quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in pretio:*

Habetur tom. 1. Luth. lat. Witt. fol. 103.

Falsò ne item aut calumniosè contra eundem Lutherum in conuentu Wormatiensi, ex communi Ordinum Imperialium consensu Anno MDXXI. rescripserit Carolus V. Magnus Imperator, *Lutherum non hominem, sed Dæmonem potius, figura, & specie humanâ, cucullog; Monastico indutum complurium hæreticorũ extremè damnatas hæreses (quæ diu iam obsoleuerant) in vnam*

Habetur tom. 2 Luth. lat. Witt. fol. 445.

Digitized by Google

nam quasi Lernæam paludem coegisse, multasq; præterea recentes, atq; nouas excogitasse, hoc prætextu, quod fidem prædicet, quam propterea sedulo inculcat omnibus, vt veram sinceramq; fidem destruat, & labefactet, ac sub nomine fucoq; Euangelicæ doctrinæ omnem Euangelicam Pacem, & charitatem, bonarum rerum harmoniam, atq; constitutionem, ipsam deniq; pulcherrimã Ecclesiæ Hierarchiam extinguat, euertat, dissoluat, & obruat, Item, *Omnes pios, & intelligentes Lutherum tanquam furiosum, & à Dæmone correptum fugere, & execrari, &c. & ideo tanquam pernitiosi Schismatis Autorem, manifestumq; & pertinacem hæreticũ, omnibus detestandum esse.*

Expendat iam Lector, an immeritò prudentissimus, & Catholicissimus quondã Saxoniæ Dux Georgius, ad ipsum Lutherum, Anno MDXXVI. scripserit: *Per tuam tuorumq; Discipulorũ doctrinã omnes antiquæ, iamq; alias damnatæ hæreses renouantur, omnis verus Dei cultus conuellitur, quantum à temporibus Sergij* (impij Apostatæ) *nunquam factum est. Quando enim plurium sacrilegia Personarum Deo consecratarum acciderunt, quam à temporibus noui Euangelij tui? Quando plures* REBELLIONES *contra Magistratus legitimos excitatæ, quam ex tuo Euangelio? Quando plures factæ sunt direptiones Sacrarum ædium, quando plura furta & latrocinia perpetrata? Quando plures fugitiui Monachi, & Moniales VVittenbergæ fuerunt, quam nunc? Quando marito adempta est Vxor, alteriq; tradita, priusquam in tuo Euangelio legeretur? Quando plura Adulteria perpetrata, quam ex quo tu scripsisti, si qua mulier à suo Marito fœcundari nequeat, vt ad alium accedat, ab eoq; prolem concipiat, quam is alere teneatur; quod vicissim etiam faciat Maritus.*

Habetur hæc epistola Tom. 3. Luth. Ien. German. fol. 189.

Atq; hæc portenta tuum nobis Euangelium peperit, quod sub scamno latens produxisti. Et profectò admodum conuenienti Nomine illud insignisti, cum ex infernis scamni latebris productum asseris. Bonum prorsus esset, si adhuc sub scamno lateret. Si enim adhuc aliquod ei simile produxeris, nullus remanebit nobis Rusticus. Si tale Euangelium Christo placuisset, tunc adeo frequenter non iterasset illud, Pax Vobis: Sanctus Petrus, & Paulus non dixissent, obediendum esse superioribus. Quamobrem hi ipsi fructus magnũ in nobis excitant horrorem, & abominationem tuæ Doctrinæ, & Euangelij. Nos Euangelium Christi Deo bene iuuante, corpore, anima, operibus, ac honore nostro tuebimur. Ita nos ipse suâ gratiâ adiuuet.

In memoriam quidem nobis mortem reuocas, de qua certi sumus. Sed quid fieret si tuum amplexi Euangelium, moreremur? Nonne Deus iure nobis diceret? Vnde nobis iste, qui nouum secum Euangelium, cum tot malis fructibus affert? Nonne præcepi tibi, vt arborem ex fructibus cognosceres? quodsi responderemus, Lutherus asserebat hoc esse Euangelium, quod antea sub scamno latuerat, Deus respõderet; Tibi vero Ecclesia Catholica aliud dicebat. Cum ergo quotidie profitearis, te credere Christianam Ecclesiam, quare credis Luthero, & non Ecclesiæ? Age Luthere, serua tu tibi tuum Euangelium, quod ex scamni latebris protulisti; Nos Euangelio Christi adhærebimus, sicut illud Ecclesia Christi recipit, & seruat. Ita nos Deus adiuuet. Ita Catholicus, & sapientissimus hic Princeps, non solum turbulẽtum Lutheri, ac Lutherani Pseudo Euangelij spiritum damnauit, sed simul etiam impios Lutheri conatus, euanidumq; illud Euangelium adeo solidè retudit, vt fortius vix à Theologo posset. Quodsi Luthe-

Lutherus idem responsum, eandemq; de Ecclesiæ Auctoritate, atq; de malis Diaboli fructibus exceptionem, Diabolo secum disputanti, cui suam de Missa doctrinam in acceptis refert, constantiori animo opposuisset, quis dubitet, eum à Diabolo victoriam itidem fuisse reportaturum, nec ita temerè Missæ sacrificium, Diabolo vti profitetur Magistro, & doctore, abrogaturum?

Luth. lib. de Missa Priu: & Vnct: Sacerd. Tom. 7. latino VVitt. & Tom. 6. Germ. len. Tom. 7. Ger. VVitt.

Nec minus consideratione digna eiusdem Illustrissimi Principis epistola, scripta An: MDXXVIII. & præfationis loco præfixa noui Testamenti versioni Germanicæ Hieronymi Emseri, in quâ itidẽ nouum Lutheri Euangelium, eiusq; malos fructus in hunc modum depingit: *Tametsi Lutherus principio rem cœperit sub specie prætensæ reformationis, & emendationis abusuum, qui inter Ecclesiasticos pariter & seculares irrepserint, postea tamen verbis, & rebus significauit, animum suum non fuisse, emendandi quidquam, sed omnino euertendi: sicut etiam sæpenumero gloriatus fuit, ac impudenter iactauit, eo se rem adducturum, nulli quidem labori interim parcendo, vt intra paucos annos nulla Ecclesia, Collegium, Cœnobium, aut Monasterium, nullus Sacerdos, Monachus, aut Monialis, & neq; Princeps, aut Episcopus sub Cœlo superstites maneant. Neq; hoc contentus, partim etiam per suos subsequentes errores falsoq; appellatos Euangelicos Concionatores, conatus est totam Ecclesiam Christianam, sanctamq; Fidem nostram penitus extinguere, neq; solum seruos Dei, sed Christum ipsum è Cœlis exturbare: sicut quidem sensim vnum fidei dogma post aliud corruperat, contempserat, & sustulerat, &c. Primum quidem Doctores Scholasticos, postea verò etiam Ecclesiasticos, seu Antiquos, & sanctos Ec-*

Extat etiam Tom. 4. Luth. len. Germ. fol. 545.

clesiæ Patres, quorum Scripta, Canones, & Decreta (quæ ipsis ad Ecclesiæ ædificationem diuinitus inspirata fuerant) igne palam combusserunt; Christi crucifixi, & Sanctorum imagines (quæ non vt idola, sed memoriæ solum & repræsentationis causa in vsum simplicis Populi prostabant) tam in Templis, quam in publicis vijs & compitis confringi, & concidi curauerunt. Omnia bona opera, ac in specie Castitatem, Virginitatem, ieiunia, Orationes (statas) festa, Ecclesiarum visitationes, Processiones, Supplicationes, Litanias, Vesperas, Missas, Matutinas, aliarumq; horarum celebrationẽ; sed & vigilias, Missas pro defunctis, Exequias, Trigesimum, ac Anniuersarios dies, & quidquid in commodum fidelium defunctorum, ex Ecclesiæ vsu celebratur, cum alijs pijs ac laudatis antiquæ Ecclesiæ institutis, non solum impie calumniati sunt, sed etiam omnino sustulerunt, ac intermiserunt.

Et infra: Ex qua impia doctrina, Concionibus, disputationibus, & scriptis, aliud nil, quam hi fæculenti fructus, velut impuri quidam, & venenati vermes, ex cœnosa cloaca, prodiere; videlicet non solum carnalis, sed etiam bruta quædam & diabolica libertas, contumacia, temeritas, inobediẽtia, & cruentæ seditiones infelicium ac seductorum subditorum; contemptus item, despectus, & calumniosa traductio omnis & Ecclesiastici, & sæcularis Magistratus, Apostasia, & miseranda defectio Religiosorum; adeoq; abiectio Religiosi habitus simul, & omnis disciplinæ, verecundiæ, & pietatis; violatio Votorum, & iuramentorum, Matrimonia illegitima, & nuptiæ Monachorum, Sacerdotum, & monialium; spoliatio bonorum Ecclesiasticorum; deuastatio Monasteriorum, & Ecclesiarum; ex quibus sacer ornatus, calices, monstrantiæ, aurea, & argentea thuribula, aliaq; pretiosa vasa, & monilia: sicut & lapides, ferrum, fenestræ, aliaq; res diuino

cultus

Digitized by Google

cultui dicata in publico foro venum exposita, ad sæculares vsus, & delicias applicata, & ex Dei Templis, Equorum stabula, aliaq; indecentia loca constructa fuerunt: omnis erga Deum, Sanctosq; Religio, & deuotio inter homines extincta, nostraq; Sancta, & Christiana Fides in multis locis penitus euersa est, &c. Ita pius hic & Catholicus Princeps, præsenti experientia doctus, pio & erudito calamo, impios Lutheri mores seditiosumq; spiritum gratæ posteritati descripsit.

Quodsi priuatum etiam hac de re testem, sed indifferentem, & neutri parti addictum audire libet, habemus Erasmum, qui de Lutheri spiritu, eiusq; fructibus ita scribit: *Ego nonnihil arbitror referre, quomodo prædicetur Verbum Dei, vt iam Verbum Dei sit, quod doces. Non agnoscis hosce seditiosos, opinor; sed illi te agnoscunt: & iam compertum est, multos, qui se iactabant Euangelij nomine, fuisse seditionis crudelissimæ instigatores: quorum conatus si successisset, fortassis extitissent, qui probarent, quod nunc re male gestà detestantur. Tu quidem libello in Agricolas sæuissimo suspicionem abs te depulisti, nec tamen efficis, quo minus credant homines, per tuos libellos, præsertim germanicè scriptos, in Oleatos, & rasos, in Monachos, in Episcopos, pro libertate Euangelica, contra Tyrannidem humanam, hisce tumultibus fuisse datam occasionem, &c. Moderationem autem non ego solus in tuis scriptis desideraui. Desiderant etiam ij, qui tibi sunt iunctissimi. Siquidem ipsa re comperiunt, quot hominum millia calami tui sæuitia, aut si mauis, parum Euangelica facetia abalienarit ab Euangelio, si modo quod tu doces, Euangelium est.*

Erasmus lib. 1. Hyperasp.

Et infra: *Vbi interim est mirabilis ille Euangelista, qui solo gladio Spiritus, quod est Verbum Dei, profitebatur, se vin-*

se vindicaturum Euangelium aduersus portas Inferni? Ad calumnias, ad minas, discendis totus, & tamen vis videri simplex, purus, nec affectibus humanis duci, sed Spiritu Dei.

Et rursum: *Exitium omnium bonarum rerum secum adfert, ista calami tui seditiosa petulantia. Concitatus est Populus aduersus Episcopos, & Principes. Magistratus ægrè cohibent plebeculam nouarum rerum auidam; atrocibus odijs dissident inter se ciuitates, quæ prius erant coniunctissimæ, vix inter homines nunc inuenias, cui tuto fidas; libertas omnis ademta.*

Erasmus in Epist. ad fratres inferioris Germaniæ.

Idem Erasmus de Luthero simul, & Zwinglio: *Nec tamen appello Zwinglium seditiosum: sed improbo, quod rem Euangelicam seditiosè gerat. An non hæc mea vox fuit ad primum gustum libellorum Lutheri; Res exibit in Seditionem. Huius rei testis esto si velit, Capito. An non seditiosè rem gerit, qui tantâ petulantia debacchatur in Cæsarem, Reges, ac Principes præpotentes? In Pontificem, Cardinales, & Episcopos? Mihi semper displicuit, quod initio Zwinglius tam odiosè scriberet Episcopo suo. Deinde nonne imaginum eiectio per se res est seditiosa? &c. Nonne bello probatum est, quod Zwinglium nunquam non facio seditiosum? Sed quamobrem tantopere nunc horrent seditionis vocabulum; cum Lutherus scripserit, eam esse peculiarem Euangelij naturam, mouere seditiones, celebreturq; Zwinglij dictum, Euangelium vult Sanguinem. Rursus annon Seditiosum, vasa Sacra conflare in Monetam? exigere Abbates suâ ditione? mouere Magistratu, qui veterem Ecclesiæ disciplinam deserere noluerunt? Nec cuiquam obscurum est, quidquid Senatus facit, Euangelistarum instinctu facere.*

Et in eadem Epistola generatim de noui Euangelij ministris ait Erasmus: *Cupimus Monachis per omnia.*

Digitized by Google

omnia placere, inquiunt noui Euangelistæ. Cur igitur quidam Templa spoliant ab illis extracta? sed cum præcipiunt, inquit, impia, contemnendi sunt. Verum impium erit, quidquid ipsis incommodum est. An non pleriq; apud Saxones negarunt Cæsari ac Regi Ferdinando suppetias aduersus Turcarũ vim, sequẽtes dogma Lutheri; cuius nunc ille palinodiam cecinit? Nonne voces hasce iactarunt Euangelici, se malle pugnare pro Turca non baptizato, quam pro Turca Baptizato; hac notâ designantes Cæsarem? Omitto quæ Romæ gesta sunt; quàm Euangelicè se gesserunt Viennæ? Quis eam historiam non detestetur, &c. Sibi tutum esse volunt in Episcopos, Reges, ac Principes, quidlibet conuitiosum effundere. Experiatur, qui velit, an si simili modo debacchetur in Ecclesiastas, aut Magistratus istorũ impune sit ablaturus. Ego priuatam quorundam mansuetudinem abunde sum expertus.

Et rursum: *Magis vereor*, inquit Erasmus, *ne pleriq; pro graui iugo hominum, portent grauius iugum Diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum; sed ita, vt ne profanis quidem Magistratibus pareatur. Olim Christiani sub Ethnicis Principibus quietè viuebant, studiosè cauentes, nequam seditioni causam darent, exhibentes honorem, cui debebatur honos; vectigal, cui vectigal; tributum, cui tributũ: hortabantur Christo initiatos, vt Idololatris etiã Magistratibus obtemperarent: pro illorũ incolumitate quotidie Deum orabant: At iste Populus tam Euangelicus etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat, quoties tam leuibus de causis procurrit ad Arma?* Hactenus Erasmus.

Erasmus in Epist. ad fratres infer. germ.

Neq; exemplis opus est hæc confirmare. Quæ enim cap. 1. & 3. dicta sunt, satis exhibent perspicuum Catalogum eorum bellorum & tumultuum,

qui in Germania, à Lutheri tempore Religionis causa excitati fuere; nec dubium, eos ex Lutheri, & quinti Euangelij spiritu promanasse.

Vide Calu. in cap. 6. Daniel. & admonitionem Ultimam ad VVestphalū Bezam epist. 4 & l. de Haeret. à Magist. puniendis.

His similia sunt, quę à Caluino, Zwinglio, Beza, alijsq; Caluinistis, & Caluini propugnatoribus in Gallia, Anglia, Belgio, Germania scripta, dicta, gestaque fuere; quanquam illi quanto ferè hac in re verbis cautiores, tanto erant factis nocentiores. Lutherus quidem ipse ita Caluinistarum Spiritum descripsit, vt is ipse Spiritus crudelitatis palmam omnibus possit præripere; dum eum vocat *Spiritum diabolicum, mendacem, rebellionis, & dissensionis Spiritum, fugitiuum, inconstantem, & vertiginosum spiritum*; & alia complura in Caluinistas encomia confert Lutherus, quæ libens prætereo. Qui exempla impietatis, crudelitatis, perfidiæ, rebellionis Caluinistarū desiderat, facile inueniet apud alios descripta.

Vide Iacobi Greiseri lib. 1. contra Goldastum c. 12.

Vid. Theatrum crudelit. Calu.

Eant nunc Aduersarij Boemorum coniurati, & Iesuitis, alijsq; Catholicis seditionis Spiritū impingant; videant ipsi potius, & intelligant, quæso, si Deum, si publicam pacem, si salutem animæ suæ amant, quales primi illi noui huius Euangelij autores; quale sit ipsum etiam hoc nouum eorum Euangelium, quod ipsa sua indole, & ingenita propensione, adeo ad discordias, iurgia, seditiones, bella progignenda, ipsismet interim primis illis pseudo-Euangelistis fauentibus, & plaudentibus, imò aspirantibus, factum, & natum sit: quam pronum cuiuis inde colligere, non esse hoc *Euangelium pacis*, nec ex *Deo pacis*, nec *Euangelizantium pacem*; vti in Scriptu-

Ephes. 6. v. 15. 1. Cor. 14 v. 13. Rom. 10. v. 15. Ioan. 8. v. 44.

Scriptura sacra Christi Euangelium appellatur; sed ex Patre Diabolo, *qui fuit homicida ab initio.*

Quo magis extollendi sunt illi, vere germano pectore magni Principes, qui licet hactenus, pro conditione natalis soli, à Catholica & auita Maiorum fide fuerint alieni, ea tamen sediriosa Lutheri dicta & dogmata, presertim quę aduersus summos Imperij Cæsares ac Principes; ac in Turcæ iurati hostis Christiani nominis laudem ac fauorem temerè scripta sunt, non tantum non approbant, sed palam etiam execrantur & damnant; quiq; hodie etiam plus Deo & conscientię, summiq; à Deo pręposίti Magistratus, ac Cæsaris obsequio fidelitatiq; quam iniquis maleuolorum instigationibus, & susurris, sediciosisque molitionibus deferunt; ad æquitatem potius tuendam pacemq; iuxta Imperij conuenta colendam, quã turbulenta & iniqua consilia sectanda propensi: ita vt ob hanc etiam causam, cum Papa & Papistis, vti vocant, seu Catholicis potius, quam Caluinistis conspirandũ pacemq; colendam publice fuerint testati; cum illi non parum opis ac pecuniæ aduersus Turcam hactenus conferre sint soliti: hi nullam. Querela hæc est Caluinistici *Stentoris*, qui in hunc modum, ex aula seu ministerio Electoralis Saxoniæ à Lutherano Doctore, non ita pridem publicè fuisse scriptum, miserabiliter quiritatur: *potius nimirum cum Papistis, quam Caluinistis societatẽ colendam, eisq; fidendum, ob duas rationes. Vnam Theologicam, quod Lutheranorum doctrina plus affinitatis habeat, cum doctrina Romanistarum;*

Vide D. Polycarpum Leiserum Saxonicũ Min. Præfat. in Catech.

David Paræus in Irenico cap. 24.

quam cum doctrina Caluinistarum. *Alteram politicam; quòd Papa pro Romani Imperij defensione aduersus Antichristum Orientalem, Turcam, vires suas conferat; & pace Religionis in Imperio sit comprehensus: Lutherani itidem (principes & proceres) in tuendo Imperio aduersus Turcam, Imperatori Romano fidelem operam nauent: contra Caluiniani pacem Religionis perforare studio habeant: Romano Imperatori aduersus Turcicum Tyrannum opem ferre recusent: consilijs suis corpus Imperij non sanare, sed lacerare attentent: quidam eorum magis Turcæ, quam Romano Imperatori sese associent: vniuersis deniq; Antichristus Orientalis Turca in corde sedeat;* seu vt alibi idem Caluinista refert, *quod Papa pro tuendo Imperio Romano vires conferat; Principes verò Caluiniani cum Turca aduersus Imperiū non dissimulanter colludant.* Consonat his, quod in Responsione Protestantium ad Legationem Segurianam legitur: *Et vidistis ne,* inquiunt, *vnquam ex Caluinistis vnum, qui ensem strinxerit pro Christiana Repub. vel in nauali illa classe, quam Romanus Pontifex, Hispanus, & Veneti compararunt aduersus Turcam; vel cū Melita à Dracute oppugnabatur? Quin verò contra potius peruolarunt ad Mauros excitandos, vt in Hispaniam traijcerent: atq; ad Turcas impellendos, ne Christiana Respub. conquiesceret; ac deniq; ad Reges varijs artibus obtruncandos.* Et paulò post: *Vnde autem aduersus Turcam, præsidia comparabimus, si Pontificij nobis desint, qui semper hac in re nobis affuere?* Sed de inquieto & infido Caluini spiritu plura Cap. sequenti.

Paraeus præfat. in Controuers. Luther.

Vide Adami Conzen de pace Germ. lib. 1. cap. 10.

CAPVT

CAPVT VI.

Culpam bellorum, ac turbatæ pacis, ex Caluini enatam schola, in solidum residere penes incentores & Antesignanos Boëmicæ rebellionis, eorumque coniuratos.

NEgari quidem non potest Lutherum, cùm adhuc in viuis esset, ad bella ac seditiones in Germania concitandas, classicum grandi voce cecinisse; id quod capite præcedenti manifestum fecimus. Sed vti & cetera quædam eius doctrinæ capita, non omnia ab omnibus eiusdem discipulis & successoribus fuêre acceptata; quædam verò etiam, vt est stoicum illud ac prædurum de *seruo arbitrio*, seu potius nullo hominis arbitrio axioma, apud eos solos remansere, qui ab Augustanæ Confessionis doctrinâ deuij, ab ipsius Lutheri discipulis, ipsoq; etiam olim Luthero, semper hactenus pro erronibus ac Hæreticis sunt habiti; ita etiam seditiosus ille Lutheri spiritus, ab annis ferè iam quinquaginta, apud eosdem, aut solùm, aut certè potissimùm conquieuit: quorum Præconibus ac Ministris hoc inprimis curæ fuit, vt tam doctrina ac verbis, quam factis & opere, tum aduersus Lutheranos, tum etiã aduersus Catholicos, omnesq; Status ac Principes à sua Religione dissentientes, subditorum seditiones, exterorum bella, populariumq; tumultus excitarent, aut fouerent;

Digitized by Google

atq; calumnijs, fraudibus, vi & armis, omnes à Caluini secta alienos opprimerent.

Hinc illa Caluini in totam Ecclesiam Catholicam, ac præcipue aduersus Ecclesiasticū ordinem, calumniosissima oratio; quæ quid suadeat, etsi non disserte profiteatur, satis tamen prudenti cuilibet vult innotescere: *Apud integros sane*, inquit, *& incorruptos Iudices* (Caluinistas) *non ita difficile fuerit, palam facere, totam illam Romanensis opulentiæ congeriem, ab ipsa suprema sede, ad minimam vsq; Capellaniam, vt vocant, ex imposturis, furtis, rapinis, sacrilegijs, pessimisq; artibus conflatam esse; & cuius nullam particulam attingere possis,* (nisi per vim scilicet rapiendo;) *quin multorū conscientia te scelerum obstringas.*

Caluin. epist. 2. de Christ. hom. offic.

Nec dissimilis illa alterius Caluinicolæ accusatio: *sub operosis illis laruis* (Catholicorū) *nihil aliud, quam crudeles homicidas, sceleratos veneficos, impuros scortatores, furesq; & latrones tegi & occultari.* Talis oratio quid sibi velit, nemo non videt; nec ipse tacet.

Grastrow in plaga Regia.

Sed apertius multò, aduersus Catholicam Ecclesiam, sæuum & cruentum bellum non ita pridem palam promulgauit, è Caluini schola literatulus eques; qui ipsum Regem Britanniæ his verbis ad arma vocat: *Vt Rex Italiam petat, vltore gladio Pontificem transfigat, venationem orbi exhibeat, eum in ponte Miluio calcet, pessundet, exturbet, auerno instar molæ demergat.* Et rursum: *Ego*, inquit, *inter principia prælia misceam, inter triumphos, præcinēte Angelo, CECIDIT illud congeminem, sanctæ huic lætitiæ totus immergar, æterna contiguus immoriar raptus.* O magnam Caluinistarum pietatem, & ex imis Erebi visceribus haustam

Plessæus Mysterio iniquit. præfat. Vide Iacobi Gretſ. Mystam Salmuriensem.

spiritus

ſpiritus ſuauitatem, nonniſi Catholicorum ſanguine ſatiandam.

Idem belli claſſicum concinit alius Caluiniſta his verbis: *Preparemus nos ad bellum, non tam Turcicum; Hungariâ nunquã potietur Sultanus; quia ea, ex Prouincijs Romanis, nunquam fuit ditionis Conſtantinopolitanæ, aut Babylonicæ, aut Arabicæ; quàm ad inſtans bellum Romanũ, & expeditionem omnium acerrimam.* Præclara ſanè ratio, cur à Turca timere non debeamus, velut Hungariam occupaturo; nec bellum ideò contra eum adornare: quaſi multũ is penſi habeat, an prouincia aliqua ad ſe iure pertineat; cùm abſq; iniuria ne illas quidem, quas nunc habet, occuparit. Ne verò Caluiniſta hic de bello ſolùm defenſiuo contra Catholicos loqui videatur, ex inſtituto inſuper docere nititur, mandatum diuinum de Pontifice euertendo, omnes Reges Chriſtianos habere. *Tale,* inquit, *quale priuatim Ebud habuit, nos publicum habemus.*

Frideric. Braunbomiu Flor. in flaminiorum prolegom. & lib. 16. c. 5.

Sed omnium ſceleratiſſimè & crudeliſſimè, in ipſo imperij meditullio, ſcripſit Heidelbergenſis Præco, cuius inter alias hæc eſt Magiſtralis præceptio: *Chriſtiani Reges & Principes debent reſiſtere Tyrannidi Pontificiæ, etiam gladio, & vi impediendo, frangendo, idola tollendo, & Eccleſiam ſuæ libertati reſtituendo.* Subiungit huic aſſertioni tres rationes. Prima eſt: *Principes debent eſſe terrori operibus malis, vltores ad iram ijs, qui malè agunt: at opera peſſima Antichriſti: coercenda igitur gladio eius malitia.* Secunda: *Quia hoc illis mandatur: (Apocal. 18. 6.) Reddite ei ſicut & ipſa reddidit vobis; & duplicate ei duplum ſecundum opera eius: in poculo quo propinauit,*

David Pareus in Rom. 13. dub. 4. propoſit. 7.

pinauit, propinate ei duplum: Ergo regnum Papæ destruere debent. Tertia: *Quia prædicitur futurum, vt Reges, & Principes Christiani odio prosequãtur meretricem, & solam reddant eam, & nudam, & carnes eius comedant, & ipsam igni exurant; at prædictio habet vim præcepti.* Ita sacrilegus Præco, sacris scripturæ verbis, aduersus Antichristum Ecclesiæ Catholicæ oppugnatorem, & vastatorem prolatis, abutitur contra ipsam Ecclesiam Catholicam; à qua ipsi & Christum didicerũt, & scripturam ac Baptismũ acceperunt, & sine quâ proinde ne Christiani quidem essent.

Vbi etiam duo hæc notabit Lector. Primum, à Paræo non tantum indici bellum, seu persecutionem, aduersus Catholicos subditos alicui Caluinistarum Principum; sed etiam aduersus Principes, & status Catholicos, qui Caluinistis alioquin nullo Jure subijciuntur. Alterum, indici arma non tantùm defensiua, sed etiam offensiua ac vindicatiua, qualia à Principe erga Latrones, Raptores, aliosq; malefactores expediri solent; de quibus disertè in sua secunda ratione loquitur. Et ita scilicet Imperij pacta & conuenta, vt status quilibet alterum, in suæ Religionis (toleratæ) exercitio non perturbet, rata & firma seruantur.

Paræus in cit. Epist. Rom. 13. propos. 7.

Nec solum aduersus Catholicos, sed etiam Lutheranos Principes ac Dominos, sæuit furiosus Prędicantis Caluinistici calamus, quando subditos, aduersus quoslibet supremos etiam Magistratus, à Caluini sectâ alienos, hoc pronunciato concitat: *Subditi, non priuati, sed in Magistratu inferiori constituti,* (v.g. Caluinianus Judex, Quæstor, Fiscalis, Senatus, quid-

quidni etiam Consistorium Prædicanticũ?) *aduersus superiorem Magistratum* (suum etiam summum, esto sit Imperator, aut Rex Boemiæ, Daniæ, aut Elector quicunq; Imperij) *se, & Rempub. & Ecclesiam, seu veram Religionem* (Caluinisticam) *armis defendere iure possunt: His positis conditionibus. I. Cùm superior Magistratus degenerat in Tyrannũ* (seu persecutorem Caluinismi.) *II. Aut ad manifestam idololatriã, atq; blasphemias* (vti Caluinistis est, nõ solùm Cultus & Inuocatio Sanctorum, sed etiam adoratio Christi in Sacramento Eucharistię corporaliter præsentis) *ipsos, vel subditos alios vi vult cogere. III. Cùm ipsis atrox infertur iniuria* (de qua nimirum, vti Boëmi hodie rebelles, subditi ipsi iudicabunt.) *IV. Si aliter incolumes fortunis, vita, & conscientiâ* (quantumuis Caluini stigmate cauteriatâ) *esse non possint.* (Itaque etiam contra proscriptionis decretum, Caluinianæ Religionis causa indictum à Principe, Caluinistæ subditi iure arma capessent.) *V. Ne pretextu religionis, aut iustitiæ, sua quærant*; (aliena enim vt quærant, hoc est, bona, Jura, & præbendas Catholicorum, ipsamq́; vitam ac fortunas suimet Principis, Caluinismo resistentis, non est subditis Caluinistis ab hoc Prædicante interdictum.) *VI. Seruata semper ἐπιεικείᾳ* (à ministerio Caluinistico edocendâ) *& moderamine inculpatæ tutelæ, iuxta leges.*

Probat hæc omnia inter alia etiam hac ratione: *Quia quorum est*, inquit, *constituere Magistratus, eorum etiã est enormiter grassantes* (eosdem Magistratus) *coërcere, aut tollere, nisi desistant grassari contra Deum & contra Rempub. Constituuntur autem vel per populi consensum,*

vel per Senatum, vel per Electores, vel per alios Magistratus. Ergo hi rectè faciunt, cùm coërcent aut tollunt grassatores: hoc est, Principes suos, summumq; etiam suũ Magistratum, quando Religione Catholica, aut Lutherana imbutus, alteram solam earũ in Imperio, suoué regno, aut ditione, proscripto Caluinismo, vti reipsa hactenus Imperialibus sanctionibus proscriptus fuit, vult esse defensam.

Et quid manifestius ad seditiones vndiq; excitandas scribi possit, quid fieri truculentius, vbi semel vel ad ima subsellia Caluinistarum alicui aditus fuerit patefactus? Nimirum hac ratione adimitur planè Principi, qui Caluini spiritu imbutus non est, seu Catholicus sit, seu Lutheranus, facultas omnis, vt in sua ditione (vti publica pacta & conuẽta Imperij permittunt) diuinum cultum ad suę Religionis normam instituat atq; reformet, subditosque ad eam vllo præcepto impellat; ni velit à subditis Magistratibus, si quos fortè Caluini spiritus etiam occultè afflauerit, in ordinẽ redigi, eorumq; etiam cũ suæ vitæ periculo arma experiri. Et quid aliud hodie aduersus suos Reges ac Imperatores fecerunt Boëmi rebelles? quemué alium suæ causæ defensorem & patronum asciscant, quàm Caluinisticum hunc Prædicantem; qui siti tam Catholici, quam Lutherani sanguinis totus ardet & æstuat?

Et quid dicam de ipsius Irenico, quod cùm *Pacis, Vnionis, & syncretismi* nomen pręferat, reipsa nil aliud *spirat*, quàm *minas & cædem* in Catholicos. Vult & optat, omnibusq; modis suadet, vt Lutherani cũ Caluinistis syncretismum ineant, & vnionem; sed quo fine? Nimirum vt violata Religionis pacificatione

tione in Imperio constituta; Catholici mactentur; seu vt ipse loquitur; *vt pro Syncretismo aduersus communem hostem Antichristum, studia consiliaq; coniungantur;* seu vt idem infra, quosnam Antichristi etiam nomine & complexu comprehensos velit, vberius explicat; *Vt Tirannidi*, inquit, *Antichristi Romani, cuius potentia hactenus, nulla re magis, quàm nostra discordia creuit, indiesq; crescit in Imperio Romano; vbi videmus modo hanc, modo illã ciuitatẽ, ditionẽ, prouinciã, dolo & armis, &c.* (notent hoc Principes quos hic Predicans mox designat) *sub iugum eius iterum cogi; Cuius rei*, inquit, *Francia Orientalis, Austria, Stiria, Carinthia, Vngaria, Troppauia, Donawerda, &c. documento omnibus esse possunt; coniunctis votis, consilijs actibusq; tantò fortius atq; temporius obuiari queat.* Et quis tam obesæ naris, vt hic non intelligat, Imperatorem, domum Austriacam, Bauariæ, Franciæque Orientalis Duces designari? qui, *dolo & armis*, inquit, hoc est vi & fraude, *Austriam, Stiriam, Carinthiam, Vngariam, Troppaniam, Franconiam, Donawerdam*, inducto aut propagato Catholicæ Religionis exercitio, Imperialium constitutionum iure vsi, *sub iugum Antichristi* (vt mendacissimus calumniator ait) *item coëgerunt.*

Et quibus ergo artibus, mi homo, Protestantes Principes, Augustanam Confessionem professi, synodi Torgensis decretum secuti, *Caluinianos velut Sacramentario furore percitos, & eos qui Christianas Ecclesias omnes, Academias, scholas, integra deniq; regna turbauerint, vastauerint, incenderint, deniq; omni letali malo affecerint; seueris legibus, pœnisq; exilij & proscriptionis à suis finibus propulsarint & expulerunt?* Quibus item artib9

ipsimet Caluiniani Ministri in Hollandia, Seelandia, Frisia, Heluetia, Rhetia, Ascania, Hassia, Bipontinatu, Palatinatu, atque olim etiam sub Crellio in Saxonia propemodum, vti & hodie ferè etiam in Marchia Brandeburgẽsi, Lutheranos oppresserũt? An non verius ipsi *dolo & armis* hic vsi, quàm in causa iustâ Principes illi Catholici à maledico Prædicante notati?

Aduersus quos alibi etiam simili modo ac pene ijsdem verbis vnionem ac syncretismum, hoc est, arma conclamat: *Et quid*, inquit, *Austria, Stiria, Carinthia, Alsatia, Donawerda, nuperq́; Praga Boemiæ, nonne tandem sapere nos docebunt?* Sed quid docebunt mi Caluinista? *Græci*, nimirum inquit, *olim Xerxis communis hostis aduentu cognito, metu instantis belli, simultatibus positis, mutua auxilia iunxerunt, isq́; syncretismus inuictos imò victores præstitit.* Itaq; hoc *sapere* docet hic Caluinista, vt Imperator ac Boemiæ Rex; Domus Austriaca; vtriusq; Bauariæ; atq; Franciæ Orientalis Duces; coniunctis armis, velut à Græcis olim Xerxes, imò velut Antichristi satellites, hoc est, Catholicæ Religionis fortissimi propugnatores & Firmamenta, bello impetantur & deleantur.

Pareus Irenic. cap. 14.

Scilicet & Catholici Lutheranis, & Lutherani Catholicis, in aliorum quiq; Prouincijs, vti Imperij leges iubẽt; atq; vt Caluinistæ insuper volũt, vtriq; Caluinistis, omnimodam, fidei causa, impunitatẽ securitatemq; præstent: soli autem Caluinistæ, omnibus eiusmodi legib⁹ soluti, Pareo Judice, vtrosque & Catholicos & Lutheranos (etiam Dominos suos subditi) si suis in Prouincijs Caluinismo resistant,

ſtant, vi & armis inuadant, opprimant, deleant, extinguant. Et hoc Iure inculpatæ defenſionis: quia iniuria eſt huic Prædicanti, omnis Catholicorum Principum, pro Catholicæ religionis defenſione zelus, quo ſuis in prouincijs auitam maiorũ fidem ſartam tectamque velint; etiamſi Imperij legibus hoc iuſtum ſit; imò ſupremis ipſius Dei legibus neceſſarium.

Et quis ergo dubitabit adhuc, ex quânam radice Boëmi rebelles hodie ſuæ iſtius fœdę rebellionis ſuccũ traxerint, in qua ſchola impia præcepta perfidæ coniurationis didicerint? Quid enim aliud fecerunt, quàm quod à truculento hoc, non Verbi diuini, ſed cruenti belli & ſeditionum Doctore & Præcone facere docti ſunt? In noſtra, inquiunt, religione grauiſſimas à Rege eiuſq; adminiſtris afflictationes paſſi fuimus; Iure ergo miniſtros Regios etiam inauditâ cauſa præcipitauimus: Regi obſequium negauimus: arma corripuimus: Regiminis formam immutauimus: Regem deniq; ipſum depoſuimus; noſtri quidem Regni non minus, quam communi aliarum Prouinciarũ damno. Dicat ergo & liberè iudicet, quiſquis maligniſſimo affectu præcipitatum ac deprauatum nõ habet iudicium; quiſnam author ac incentor omnium iſtarum turbarum, bellorumq; ac malorum extiterit? Catholicinè an Caluiniſtæ? Ieſuitænè an Caluiniſtarum miniſtri? Qui diſcipulos ſuos tam cruentis ac ſeditioſis conſilijs ac pręceptionib⁹ aduerſus ſuos legitimos ac ſupremos Magiſtratus, ſpeciatim aduerſus Imperatorem, Regẽ Boëmiæ, Domũ Auſtriacam,

 Bauariæ

Bauariæ & Fraconiæ Duces armarũt & instigarũt: quo proinde consilio ducti vtique rebelles Boëmi, eorumq; coniurati, ipsa sua hac rebellione, & coniuratione, varijsq; & nouis confœderationib⁹, etiãnum aliud nil spectant, quam vt & Religionẽ Catholicam, & domũ Austriacam, ac Bauaricam, ceterosq; Catholicos Principes, qui his veluti columnis nituntur, funditus deleant & extinguant: quibus si vi ex aduerso opposita resistant Principes pacis publiciq; boni amantes, quis iure improbabit?

Verissimum est nimirum, non eos esse culpandos, qui iusta bella suscipiunt, & gerunt, sed qui illatis iniurijs causam necessitatemq; bellandi adferunt. *Quid enim*, inquit S. Augustinus, *culpatur in bello? an quia moriuntur aliquando morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atq; impacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur; quæ plerunq; ita culpantur, vt etiam iure puniantur.*

Augustin. l. 22. contra Faust. Manich. c. 74.

Vt autem adhuc euidentius fiat, culpas hasce, & causas bellorum, à S. Augustino commemoratas, ex Caluini, vt dictũ, schola profectas, penes Duces ipsos & Antesignanos Boëmicæ Rebellionis, eorũque Præceptores, & coniuratos hærere, operæ pretium est, totam rei gestæ seriem, breui ac solida narratione, eorumque commemoratione, quæ illi aduersus suos legitimos Reges, & Regios ministros, aduersus Catholicos, & fidem Catholicam, contra omnia Jura, contra publica Imperij conuẽta & statuta, contraq; iuramentum fidelitatis suis

Regi-

Regibus præstitum, temere & insolenter, propria & priuata auctoritate, sine omni ordine & forma Iuris admiserunt, ob oculos ponere. Quæ cum aliunde nec explicatius, nec certius repræsentari possint, quã ex ipso recenti Cæsareæ ac Regiæ Maiestatis Ferdinandi II. velut legitime electi, coronati & acceptati Regis Boëmiæ Rescripto, quod hoc ipso Anno M. DC. XX. die 29. Ianuarij ad annullandam præposteram Electionẽ noui regis Boëmiæ, editum Viennæ ac promulgatũ fuit: idipsum huic loco ex Germanico in Latinum optima fide conuersum, ad verbum inserere placuit. Ita ergo habet:

Nos Ferdinandus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Denunciamus omnibus & singulis, Electoribus, Principibus, Regularibus & secularibus Prælatis, Comitibus, Liberis Baronibus, Dominis, Equitibus, Nobilibus, Prouincialibus, Marescallis, Belli Ducibus, Gubernatoribus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Præsidibus, Administratoribus, Officialibus, Consulibus, Prætoribus, Iudicibus, Senatoribus, Ciuibus, Communitatibus, omnibusq; alijs nostris & Imperij, Regnorumq; nostrorum, & hereditariorum Principatuum ac ditionum subditis & fidelibus; cuiuscunq; sint dignitatis, status & conditionis, ad quos hæ nostræ peruenerint patentes litteræ, nostram amicitiam, gratiam, & omne bonum.

Reuerendissimi, Reuerendi, atque Illustrissimi, dilecti amici, Matrueles, Auunculi, Cognati, Affines, Electores,

& Principes; itemq; Generosi, Nobiles, honorati, dilecti, deuoti & fideles. Tametsi minime dubitamus, iam nunc, tam in Imperio, quam extra Imperium, satis esse perspectam; in quam calamitosum statum, nostrum Boëmiæ regnum, & principale membrum, ac Electoratus Sacri Romani Imperij, vna cum incorporatis, alijsq; vicinis ditionibus nostris hæreditarijs inciderit, & quantæ calamitates, miseriæ, & oppressiones aduersus miseros nostros & innocentes subditos, per excitatum luctuosum bellum, præter communem prouinciarum vastationem, illatæ fuerint; tamen vt rei totius status, sincera & solida repræsentatione, ad omnium veram & apertam notitiam perueniat, & persuasiones ex aduerso conceptæ tollantur; Scire conuenit, calamitates has, & miserabilem statum, inde præcipuè fluxisse, quod adhuc viuente nostro quondam Dilecto Domino Cognato, & Patre, Imperatore MATTHIA, &c. ac sub regimine ipsius, velut simul etiā actu regentis Boëmiæ Regis, Augustæ memoriæ, aliqui ex Boëmiæ statibus, contra quosdam, ex parte, suæ Maiestatis & Charitatis Vicarios, & Regni officiales, sub specie aliquorū, aduersus suam (Vtraquisticam) religionem, priuilegia, ac Maiestatis litteras illatorum grauaminum, excessum seu culpam antea fere inauditam, propria manu & ausu admiserint, ac quosdam ex dictis Vicarijs, Regijs, & Officialibus Regni, principales personas, aliosq; administros ex alto præcipitarint; deinde vero arma primi corripuerint, & ad manus sumpserint, supradictos Vicarios, & Officiales in absentia, & sine vllo respectu sui legitimi, actuq; regentis Regis & Domini, suis officijs priuarint, Regalia Regni suæ potestati vindicarint, nouamq; plane formam Regiminis, in quo illi ipsi à seipsis creati & nominati Directores, clauum tenerent, proprio motu constituerint; atq; ita metas & terminos præ-

tensæ

tensa defensionis suæ Religionis, si quidem ea illis defensio omnino etiam vi litterarum Maiestatis concessa fuisset, (cum tamen eam religionis habendam esse causam, nunquam probatum sit, nec probari vnquam possit) omnium iudicio, qui hac de re sine affectu & partialitate iudicare possint & velint, plus nimio, ac tantopere excesserint, vt prædictum illud propria manu & ausu, subditorum contra legitimum suum Magistratum, susceptum facinus, nihil aliud, quàm aperta & hostilis repugnantia & rebellio existimari debeat.

Hoc ergo primum caput est iniquæ Boëmorũ rebellium causæ, qua culpam bellorum ac calamitatum præsentium sustinent; quod tamen non vnam, sed multiplicem iniquitatẽ continet. I. Virorum auctoritate, genere, & opibus præstantissimorum, ac simul regiorum Vicariorũ, præcipuorumq; Regni Officialium, in ipsa Regia arce, violentam, & sine omni præuio processu, ac ordine Juris, propria priuataq; auctoritate, proprijsq; manibus, factam præcipitationem, spectantem non solum ad præsens, subitum, & violentum corporis, & corporalis vitæ exitium, omniumq; membrorum confractionem; sed etiã ad ingentẽ contumeliam, tum ipsorũ, qui hoc crudele pręcipitium passi sunt, tum ipsius imprimis Regię Maiestatis, cuius ipsi eo loco personam sustinebant & repræsentabant. Et an nõ hoc est culpam & *excessum antea fere inauditum* committere? vt in litteris Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, quas repræsentamus, appellatur. II. Quod isti ipsi Turbines Boëmici, ad inauditũ prope hoc facinus violenta manu tuendum, arma primi corripuerint; nec Rege, nec ijs, quibus vis & iniuria

atq; calumnijs, fraudibus, vi & armis, omnes à Caluini secta alienos opprimerent.

Hinc illa Caluini in totam Ecclesiam Catholicam, ac præcipuè aduersus Ecclesiasticũ ordinem, calumniosissima oratio; quæ quid suadeat, etsi non disertè profiteatur, satis tamen prudenti cuilibet vult innotescere: *Apud integros sanè, inquit, & incorruptos Iudices* (Caluinistas) *non ita difficile fuerit, palam facere, totam illam Romanensis opulentiæ congeriem, ab ipsa suprema sede, ad minimam vsq; Capellaniam, vt vocant, ex imposturis, furtis, rapinis, sacrilegijs, pessimisq; artibus conflatam esse; & cuius nullam particulam attingere possis,* (nisi per vim scilicet rapiendo;) *quin multorũ conscientia te scelerum obstringas.*

Calvin. epist. 2. de Chris. l. hom. offic.

Nec dissimilis illa alterius Caluinicolæ accusatio: *sub operosis illis laruis* (Catholicorũ) *nihil aliud, quàm crudeles homicidas, sceleratos veneficos, impuros scortatores, furesq; & latrones tegi & occultari.* Talis oratio quid sibi velit, nemo non videt; nec ipse tacet.

Grastrus in plaga Regia.

Sed apertius multò, aduersus Catholicam Ecclesiam, sæuum & cruentum bellum non ita pridem palam promulgauit, è Caluini schola literatulus eques; qui ipsum Regem Britanniæ his verbis ad arma vocat: *Vt Rex Italiam petat, vltore gladio Pontificem transfigat, venationem orbi exhibeat, eum in ponte Miluio calcet, pessundet, exturbet, auerno instar molæ demergat.* Et rursum: *Ego,* inquit, *inter principia prælia misceam, inter triumphos, præcinete Angelo, CECIDIT illud congeminem, sancta huic lætitia totus immergar, æterna contiguus immoriar raptus.* O magnam Caluinistarum pietatem, & ex imis Erebi visceribus haustam spiritus.

Plessæus Mysterio iniquit. præfat. Vide Iacobi Gretf. Mystam Salmuriensem.

spiritus suauitatem, nonnisi Catholicorum sanguine satiandam.

Idem belli classicum concinit alius Caluinista his verbis: *Preparemus nos ad bellum, non tam Turcicum; Hungaria nunquã potietur Sultanus; quia ea, ex Prouincijs Romanis, nunquam fuit ditionis Constantinopolitanæ, aut Babylonicæ, aut Arabicæ; quàm ad instans bellum Romanũ, & expeditionem omnium acerrimam.* Præclara sanè ratio, cur à Turca timere non debeamus, velut Hungariam occupaturo; nec bellum ideò contra eum adornare: quasi multũ is pensi habeat, an prouincia aliqua ad se iure pertineat; cùm absq; iniuria ne illas quidem, quas nunc habet, occuparit. Ne verò Caluinista hic de bello solùm defensiuo contra Catholicos loqui videatur, ex instituto insuper docere nititur, mandatum diuinum de Pontifice euertendo, omnes Reges Christianos habere. *Tale*, inquit, *quale priuatim Ehud habuit, nos publicum habemus.*

Fridoric. Braubomen Flor. in flaminiorum prolegom. & lib. 16. c. 5.

Sed omnium sceleratissimè & crudelissimè, in ipso imperij meditullio, scripsit Heidelbergensis Præco, cuius inter alias hæc est Magistralis præceptio: *Christiani Reges & Principes debent resistere Tyrannidi Pontificiæ, etiam gladio, & vi impediendo, frangendo, idola tollendo, & Ecclesiam suæ libertati restituendo.* Subiungit huic assertioni tres rationes. Prima est: *Principes debent esse terrori operibus malis, vltores ad iram ijs, qui malè agunt: at opera pessima Antichristi: coercenda igitur gladio eius malitia.* Secunda: *Quia hoc illis mandatur: (Apocal. 18. 6.) Reddite ei sicut & ipsa reddidit vobis; & duplicate ei duplum secundum opera eius: in poculo quo propinauit,*

David Pareus in Rom. 13. dub. 4. proposit. 7.

pinauit, propinate ei duplum: Ergo regnum Papæ destruere debent. Tertia: *Quia prædicitur futurum, vt Reges, & Principes Christiani odio prosequãtur meretricem, & solam reddant eam, & nudam, & carnes eius comedant, & ipsam igni exurant; at prædictio habet vim præcepti.* Ita sacrilegus Præco, sacris scripturæ verbis, aduersus Antichristum Ecclesiæ Catholicæ oppugnatorem, & vastatorem prolatis, abutitur contra ipsam Ecclesiam Catholicam; à qua ipsi & Christum didicerũt, & scripturam ac Baptismũ acceperunt, & sine quã proinde ne Christiani quidem essent.

Vbi etiam duo hæc notabit Lector. Primum, à Paræo non tantum indici bellum, seu persecutionem, aduersus Catholicos subditos alicui Caluinistarum Principum; sed etiam aduersus Principes, & status Catholicos, qui Caluinistis alioquin nullo Jure subijciuntur. Alterum, indici arma non tantùm defensiua, sed etiam offensiua ac vindicatiua, qualia à Principe erga Latrones, Raptores, aliosq; malefactores expediri solent; de quibus disertè in sua secunda ratione loquitur. Et ita scilicet Imperij pacta & conuenta, vt status quilibet alterum, in suæ Religionis (toleratæ) exercitio non perturbet, rata & firma seruantur.

Paræus in cit. Epist. Rom. 13. propos. 7.

Nec solum aduersus Catholicos, sed etiam Lutheranos Principes ac Dominos, sæuit furiosus Prędicantis Caluinistici calamus, quando subditos, aduersus quoslibet supremos etiam Magistratus, à Caluini sectâ alienos, hoc pronunciato concitat: *Subditi, non priuati, sed in Magistratu inferiori constituti,* (v.g. Caluinianus Judex, Quæstor, Fiscalis, Senatus, quid-

quidni etiam Consistorium Prædicanticū?) *aduersus superiorem Magistratum* (suum etiam summum, esto sit Imperator, aut Rex Boemiæ, Daniæ, aut Electbr quicunq; Imperij) *se, & Rempub. & Ecclesiam, seu veram Religionem* (Caluinisticam) *armis defendere iure possunt: His positis conditionibus. I. Cùm superior Magistratus degenerat in Tyrannū* (seu persecutorem Caluinismi.) *II. Aut ad manifestam idololatriā, atq; blasphemias* (vti Caluinistis est, nō solum Cultus & Inuocatio Sanctorum, sed etiam adoratio Christi in Sacramento Eucharistię corporaliter præsentis) *ipsos, vel subditos alios vi vult cogere. III. Cùm ipsis atrox infertur iniuria* (de qua nimirum, vti Boemi hodie rebelles, subditi ipsi iudicabunt.) *IV. Si aliter incolumes fortunis, vita, & conscientiâ* (quantumuis Caluini stigmate cauteriatâ) *esse non possint.* (Itaque etiam contra proscriptionis decretum, Caluinianæ Religionis causa indictum à Principe, Caluinistæ subditi iure arma capessent.) *V. Ne prætextu religionis, aut iustitiæ, sua quærant*; (aliena enim vt quærant, hoc est, bona, Jura, & præbendas Catholicorum, ipsamq; vitam ac fortunas ipsimet Principis, Caluinismo resistentis, non est subditis Caluinistis ab hoc Prædicante interdictum.) *VI. Seruata semper ἐπιείκεια* (à ministerio Caluinistico edocendâ) *& moderamine inculpatæ tutelæ, iuxta leges.*

Probat hæc omnia inter alia etiam hac ratione: *Quia quorum est, inquit, constituere Magistratus, eorum etiā est enormiter grassantes* (eosdem Magistratus) *coërcere, aut tollere, nisi desistant grassari contra Deum & contra Rempub. Constituuntur autem vel per populi consensum,*

tione in Imperio constituta, Catholici mactentur; seu vt ipse loquitur; *vt pro Syncretismo aduersus communem hostem Antichristum, studia consiliaq; coniungantur;* seu vt idem infra, quosnam Antichristi etiam nomine & complexu comprehensos velit, vberius explicat; *Vt Tirannidi*, inquit, *Antichristi Romani, cuius potentia hactenus, nulla re magis, quàm nostrâ discordiâ creuit, indiesq; crescit in Imperio Romano; vbi videmus modo hanc, modo illã ciuitatẽ, ditionẽ, prouinciã, dolo & armis, &c.* (notent hoc Principes quos hic Prędicans mox designat) *sub iugum eius iterum cogi; Cuius rei*, inquit, *Francia Orientalis, Austria, Stiria, Carinthia, Vngaria, Troppania, Donawerda, &c. documento omnibus esse possunt; coniunctis votis, consilijs actibusq;, tantò fortius atq; temporius obuiari queat.* Et quis tam obesæ naris, vt hic non intelligat, Imperatorem, domum Austriacam, Bauariæ, Franciæque Orientalis Duces designari? qui, *dolo & armis*, inquit, hoc est vi & fraude, *Austriam, Stiriam, Carinthiam, Vngariam, Troppaniam, Franconiam, Donawerdam*, inducto aut propagato Catholicæ Religionis exercitio, Imperialium constitutionum iure vsi, *sub iugum Antichristi* (vt mendacissimus calumniator ait) *item coëgerunt.*

Pareus Irenico, cap. 12. & 25. motiua 13.

Et quibus ergo artibus, mi homo, Protestantes Principes, Augustanam Confessionem professi, synodi Torgensis decretum secuti, *Caluinianos velut Sacramentario furore percitos, & eos qui Christianas Ecclesias omnes, Academias, scholas, integra deniq; regna turbauerint, vastauerint, incenderint, deniq; omni letali malo affecerint; seueris legibus, pœnisq;, exilij & proscriptionis à suis finibus propulsarint & expulerunt?* Quibus item artib⁹

 ipsimet

ipsimet Caluiniani Ministri in Hollandia, Seelandia, Frisia, Heluetia, Rhetia, Ascania, Hassia, Bipontinatu, Palatinatu, atque olim etiam sub Crellio in Saxonia propemodum; vti & hodie ferè etiam in Marchia Brandeburgẽsi, Lutheranos oppresserũt? An non verius ipsi *dolo & armis* hic vsi, quàm in causâ iustâ Principes illi Catholici à maledico Prædicante notati?

Aduersus quos alibi etiam simili modo ac pene ijsdem verbis vnionem ac syncretismum, hoc est, arma conclamat: *Et quid,* inquit, *Austria, Stiria, Carinthia, Alsatia, Donawerda, nuperq; Praga Boemia, nonne tandem sapere nos docebunt?* Sed quid docebunt mi Caluinista? *Græci,* nimirum inquit, *olim Xerxis communis hostis aduentu cognito, metu instantis belli, simultatibus positis, mutua auxilia iunxerunt, isq; syncretismus inuictos imò victores præstitit.* Itaq; hoc *sapere* docet hic Caluinista, vt Imperator ac Boemiæ Rex; Domus Austriaca; vtriusq; Bauariæ; atq; Franciæ Orientalis Duces; coniunctis armis, velut à Græcis olim Xerxes, imò velut Antichristi satellites, hoc est, Catholicæ Religionis fortissimi propugnatores & Firmamenta, bello impetantur & deleantur.

Pareus Irenic. cap. 14.

Scilicet & Catholici Lutheranis, & Lutherani Catholicis, in aliorum quiq; Prouincijs, vti Imperij leges iubẽt; atq; vt Caluinistæ insuper volũt, vtriq; Caluinistis, omnimodam, fidei causa, impunitatẽ securitatemq; præstent: soli autem Caluinistæ, omnibus eiusmodi legib⁹ soluti, Pareo Judice, vtrosque & Catholicos & Lutheranos (etiam Dominos suos subditi) si suis in Prouincijs Caluinismo resistant,

Digitized by Google

ſtant, vi & armis inuadant, opprimant, deleant, extinguant. Et hoc Iure inculpatæ defenſionis: quia iniuria eſt huic Prædicanti, omnis Catholicorum Principum, pro Catholicæ religionis defenſione zelus, quo ſuis in prouincijs auitam maiorũ fidem ſartam tectamque velint; etiamſi Imperij legibus hoc iuſtum ſit; imò ſupremis ipſius Dei legibus neceſſarium.

Et quis ergo dubitabit adhuc, ex quânam radice Boëmi rebelles hodie ſuæ iſtius fœdę rebellionis ſuccũ traxerint, in qua ſchola impia præcepta perfidæ coniurationis didicerint? Quid enim aliud fecerunt, quàm quod à truculento hoc, non Verbi diuini, ſed cruenti belli & ſeditionum Doctore & Præcone facere docti ſunt? In noſtra, inquiunt, religione grauiſſimas à Rege eiuſq; adminiſtris afflictationes paſſi fuimus: Iure ergo miniſtros Regios etiam inauditâ cauſa præcipitauimus: Regi obſequium negauimus: arma corripuimus: Regiminis formam immutauimus: Regem deniq; ipſum depoſuimus; noſtri quidem Regni non minus, quam communi aliarum Prouinciarũ damno. Dicat ergo & liberè iudicet, quiſquis maligniſſimo affectu præcipitatum ac deprauatum nõ habet iudicium; quiſnam author ac incentor omnium iſtarum turbarum, bellorumq; ac malorum extiterit? Catholiciné an Caluiniſtæ? Ieſuitæné an Caluiniſtarum miniſtri? Qui diſcipulos ſuos tam cruentis ac ſeditioſis conſilijs ac pręceptionib⁹ aduerſus ſuos legitimos ac ſupremos Magiſtratus, ſpeciatim aduerſus Imperatorem, Regẽ Boëmiæ, Domũ Auſtriacam,

Bauariæ & Fräconiæ Duces armarũt & instigarũt: quo proinde consilio ducti vtique rebelles Boëmi, eorumq; coniurati, ipsa sua hac rebellione, & coniuratione, varijsq; & nouis confæderationib⁹, etiã-num aliud nil spectant, quam vt & Religione Catholicam, & domũ Austriacam, ac Bauaricam, cęterosq; Catholicos Principes, qui his veluti colũnis nituntur, funditus deleant & extinguant: quibus si vi ex aduerso opposita resistant Principes pacis publiciq; boni amantes, quis iure improbabit?

Verissimum est nimirum, non eos esse culpandos, qui iusta bella suscipiunt, & gerunt, sed qui illatis iniurijs causam necessitatemq; bellandi adferunt. *Quid enim*, inquit S. Augustinus, *culpatur in bello? an quia moriuntur aliquando morituri, vt dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atq; impacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis iure culpantur; quæ plerumq; ita culpantur, vt etiam iure puniantur.*

Augustin. l. 22. contra Faust. Manich. c. 74.

Vt autem adhuc euidentius fiat, culpas hasce, & causas bellorum, à S. Augustino commemoratas, ex Caluini, vt dictũ, schola profectas, penes Duces ipsos & Antesignanos Boëmicæ Rebellionis, eorũque Præceptores, & coniuratos hærere, operæ pretium est, totam rei gestæ seriem, breui ac solida narratione, eorumque commemoratione, quæ illi aduersus suos legitimos Reges, & Regios administros, aduersus Catholicos, & fidem Catholicam, contra omnia Jura, contra publica Imperij conuẽta & statuta, contraq; iuramentum fidelitatis suis Regi-

Digitized by Google

Regibus præstitum, temere & insolenter, propria & priuata auctoritate, sine omni ordine & forma Iuris admiserunt, ob oculos ponere. Quæ cum aliunde nec explicatius, nec certius repræsentari possint, quã ex ipso recenti Cæsareæ ac Regiæ Maiestatis Ferdinandi II. velut legitime electi, coronati & acceptati Regis Boëmiæ Rescripto, quod hoc ipso Anno M. DC. XX. die 29. Ianuarij ad annullandam præposteram Electioné noui regis Boëmiæ, editum Viennæ ac promulgatū fuit: idipsum huic loco ex Germanico in Latinum optima fide conuersum, ad verbum inserere placuit. Ita ergo habet:

Nos Ferdinandus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Boëmiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclauoniæ Rex; Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Denunciamus omnibus & singulis, Electoribus, Principibus, Regularibus & secularibus Prælatis, Comitibus, Liberis Baronibus, Dominis, Equitibus, Nobilibus, Prouincialibus, Marescallis, Belli Ducibus, Gubernatoribus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Præsidibus, Administratoribus, Officialibus, Consulibus, Prætoribus, Iudicibus, Senatoribus, Ciuibus, Communitatibus, omnibusq; alijs nostris & Imperij, Regnorumq; nostrorum, & hereditariorum Principatuum ac ditionum subditis & fidelibus; cuiuscunq; sint dignitatis, status & conditionis, ad quos hæ nostræ peruenerint patentes litteræ, nostram amicitiam, gratiam, & omne bonum.

Reuerendissimi, Reuerendi, atque Illustrissimi, dilecti amici, Matrueles, Auunculi, Cognati, Affines, Electores,

&

1871

& Principes; itemq; Generosi, Nobiles, honorati, dilecti, deuoti & fideles. Tametsi minime dubitamus, iam nunc, tam in Imperio, quam extra Imperium, satis esse perspectam, in quam calamitosum statum, nostrum Boëmiæ regnum, & principale membrum, ac Electoratus Sacri Romani Imperij, vna cum incorporatis, alijsq; vicinis ditionibus nostris hæreditarijs inciderit, & quantæ calamitates, miseriæ, & oppressiones aduersus miseros nostros & innocentes subditos, per excitatum luctuosum bellum, præter communem prouinciarum vastationem, illatæ fuerint; tamen vt rei totius status, sincera & solida repræsentatione, ad omnium veram & apertam notitiam perueniat, & persuasiones ex aduerso conceptæ tollantur; Scire conuenit, calamitates has, & miserabilem statum, inde præcipuè fluxisse, quod adhuc viuente nostro quondam Dilecto Domino Cognato, & Patre, Imperatore MATTHIA, &c. ac sub regimine ipsius, velut simul etiā actu regentis Boëmiæ Regis, Augustæ memoriæ, aliqui ex Boëmiæ statibus, contra quosdam, ex parte, suæ Maiestatis & Charitatis Vicarios, & Regni officiales, sub specie aliquorū, aduersus suam (Vtraquisticam) religionem, priuilegia, ac Maiestatis litteras illatorum grauaminum, excessum seu culpam antea fere inauditam, propria manu & ausu admiserint, ac quosdam ex dictis Vicarijs, Regijs, & Officialibus Regni, principales personas, aliosq; administros ex alto præcipitarint; deinde vero arma primi corripuerint, & ad manus sumpserint, supradictos Vicarios, & Officiales in absentia, & sine vllo respectu sui legitimi, actuq; regentis Regis & Domini, suis officijs priuarint, Regalia Regni suæ potestati vindicarint, nouamq; plane formam Regiminis, in quo illi ipsi à seipsis creati & nominati Directores, clauum tenerent, proprio motu constituerint; atq; ita metas & terminos prætensæ

tensa defensionis suæ Religionis, si quidem ea illis defensio omnino etiam vi litterarum Maiestatis concessa fuisset, (cum tamen eam religionis habendam esse causam, nunquam probatum sit, nec probari vnquam possit) omnium iudicio, qui hac de re sine affectu & partialitate iudicare possint & velint, plus nimio, ac tantopere excesserint, vt prædictum illud propria manu & ausu, subditorum contra legitimum suum Magistratum, susceptum facinus, nihil aliud, quàm aperta & hostilis repugnantia & rebellio existimari debeat.

Hoc ergo primum caput est iniquæ Boëmorũ rebellium causæ, qua culpam bellorum ac calamitatum præsentium sustinent; quod tamen non vnam, sed multiplicem iniquitatẽ continet. I. Virorum auctoritate, genere, & opibus præstantissimorum, ac simul regiorum Vicariorũ, præcipuorumq; Regni Officialium, in ipsa Regia arce, violentam, & sine omni præuio processu, ac ordine Juris, propria priuataq; auctoritate, proprijsq; manibus, factam præcipitationem, spectantem non solum ad præsens, subitum, & violentum corporis, & corporalis vitæ exitium, omniumq; membrorum confractionem; sed etiã ad ingentẽ contumeliam, tum ipsorũ, qui hoc crudele pręcipitium passi sunt, tum ipsius imprimis Regię Maiestatis, cuius ipsi eo loco personam sustinebant & repræsentabant. Et an nõ hoc est culpam & *excessum antea fere inauditum* committere? vt jn litteris Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, quas repræsentamus, appellatur. II. Quod isti ipsi Turbines Boëmici, ad inauditũ prope hoc facinus violenta manu tuendum, arma primi corripuerint; nec Rege, nec ijs, quibus vis & iniuria

erat illata, nec vllis alijs ad arma spectantibus. Et annon hoc erat necessitatem inijcere Regi, vt sibi vicissim de armis prouideret, ad inauditam hanc insolentiam & rebellionem subditorum comprimendam? III. Quod supradictos Vicarios Regiæ, & regni officiales propria ipsi ac priuata auctoritate, absq; omni scitu & respectu legitimi Regis sui, officijs deiecerint: non corpora solum, sed simul etiam dignitatem eorum conterere ausi. IV. Quod *Regalia Regni*, nimirũ Coronam, & Tabulas Regni, Residentiam Regiam, Archiuum & Cancellariam Regiam, &c. suæ potestati vindicarint. V. Quod nouam formam regiminis, seq; ipsos nouos Regni Directores propria ac priuata auctoritate constituere, ac nominare sunt ausi. Et annon ergo hæc iam merito aperta erga legitimũ Regem rebellio; Regijs hisce litteris, omniumque sane sentientium iudicio censeatur?

Et annon, inquam, in has faces bellorũ omnes illę culpæ, quas S. Augustinũ commemorasse velut iusti belli causas, vt superius diximus, ex amussim conueniunt? *Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi?* Quæ enim maior potest esse *nocendi cupiditas*, quam simul vitam, honorem, dignitatem, proprio & priuato motu & ausu auferre non subditis, nec plane æqualibus, sed Magistratibus, summis, ac Regijs quoddammodo personis? Quæ maior *vlciscendi crudelitas*, quam sub prætextu defensionis, nulla vi repugnantes, honoratissimos Regis administros, absq; omni specie & ordine Juris, nil minus,

nus, quam de mortis periculo sollicitos, subito furore, propria auctoritate, proprijs manibus inuadere, & ex alto præcipitare? Quis *implacatior animus*, quam post fœdissimum facinus, & insolentissimam temeritatem, mox contra legitimũ Regem, regiamq; cognitionẽ arma publice corripere, atq; ad publicam rebellionem ciues totumq; Regnum concitare? Quæ maior *libido dominandi*, quam veterem Regni, ipsius Regis, ac totius Regni constitutionibus ac moribus probatam & sancitam Regiminis formam propria auctoritate conuellere, nouam constituere, seq; ipsos propria auctoritate nouos *regni Directores* creare? Quæ deniq; maior *rebellandi feritas*, quam hæc omnia semel quasi & simul aduersus auctoritatem Maiestatemq; Regiam, Regno antea prorsus pacato & tranquillo, audere & aggredi?

Sed pergunt Regiæ Maiestatis litteræ: *Equidem nos pro nostra parte hoc loco quæstionem non mouemus, quomodo se res habeat, cum illis grauaminibus, quæ in Apologijs Boëmicis, editis sub nomine vnius partis statuum Regni Boëmiæ, nimirum sub vtraq; (qui tamen ad immutandam Regiam gubernationem, tam parum ipsi potestatis habebant, quam parum ipsi ijs, qui sub vna sunt* (Catholicis) *eam essent concessuri) obijciuntur; & quantũ, ac quousq; vnius aut alterius administri, priuata, etiamsi testata delicta, Magistratui præiudicare possint; quando præsertim instituti nostri non est, eorum, quæ ante cœptam gubernationẽ nostram sine nostra culpa, accidere potuerunt, nobisq; proinde imputanda, ac in nostrum præiudicium vertenda minime sunt, rationem reddere, aut defensionem patrociniumq; suscipere.*

Digitized by Google

Sed speramus tamen, & de omnibus ad iustitiam & æquitatem propensis, pacisq; amantibus animis, & vere germanis pectoribus plane confidimus, eos, ex processu hactenus deducto, & informationibus iam antea typo publicatis, facile colligere & intelligere potuisse, ad tollenda prætensa grauamina (vtcunq; demum ea sese habeant) iuxta præscriptum ordinem Verbi diuini, & communium iurium, facile inueniri potuisse alia media, quam vt ea de causa, tota patria, in extrema pericula & clades, non nisi magna innoxij sanguinis effusione conijci, & legitimus naturalisq; Magistratus, ad violentam, licitam tamen, rerum suarum defensionem quasi necessitate compelli debuerit. Sicut etiã minime dubitandũ, etiamsi medium illud in litteris Maiestatis explicatum, ad subortas inde controuersias, communi & indifferenti, per vtriusq; Religionis status compositione terminandas non suffecisset, atq; ipsis etiam omnis audientia (vti passim persuadere satagunt) denegata fuisset, non defutura tamẽ, eo nec dum probato casu, synceros & optimæ mentis Electores & Principes, qui Boëmorum causam, pro iuris æquitate, suâ intercessione promouendam suscepissent, nec permisissent vnquam, vt ad hæc tàm periculosa extrema veniretur.

Postquam vero his omnibus sepositis, à putatitijs istis Directoribus, eorumq; socijs rebellibus, post sanguinolentam conspirationem initam, per præcipitium Regiorum Vicariorum; vt tàm temerario ausu hinc quidem fidelibus statibus terrorem inijcerent, quò ipsi liberiùs malo suo proposito insistere possent; inde verò alios, quos in suam ipsi partem pertraxerant, consensione facinoris tanti magis obstrictos haberent, &c. omnia in armis & apertâ violentiâ posita fuere; non eo tantum fine, vt se ab omni pœna patrati facinoris securos redderent, sed etiam fideles suos conciues & collegas, tàm

tàm sub vtraq; , quam sub unâ opprimerent, ac postea nomine statuum, prauas suas intentiones iam dudum anteà conceptas vi perrũperent; idcirco deniq; supradicta sua Maiestas & Charitas, cum post paternas planè & sinceras admonitiones, resipiscentiæ, emendationis, & agnitionis nullum indicium animaduertere posset, sed potius in dies aduerteret, hoc insuper agitari, vt excitatum incendium interim etiam ad incorporatas & alias hæreditarias Prouincias propagari posset, tali tamq; periculoso lateq; prospectante rerum statu, sine præsidio & armis ex aduerso oppositis conquiescere consultũ ac tutum non iudicauit.

Habet in secunda parte Lector, tùm refutationem earum causarum, quas Factiosi Boëmi suæ rebellioni prætexunt; nimirum I. grauamina iniusta, nondum probata. II. aliam fuisse rationem ineundam grauaminum amoliendorũ, etiamsi quædam ex parte Ministrorum Regiorum culpa interuenisset. III. Cæsarem obtulisse paratum animum ad causam cognoscendam & probata grauamina amolienda; tùm causam vrgentissimam, ob quam Imperator Matthias, Augustæ memoriæ, aduersus Boëmos Perduelles post patratum ab eis nefarium illud præcipitij facinus, arma capienda necessario duxit. I. Quia Rebelles ipsi primò arma sumpserunt, & in armis, exclusâ viâ Juris, omnem spem ac fiduciam collocarũt. II. Quia paternè sæpiùs moniti ad pœnitentiam flecti non poterant, atque ità pertinaces & obstinati in peruerso proposito persistebant. III. Quia excitatum insuper incendium ad finitimas Prouincias propagare audebant.

Fecit nimirum hìc Imperator, quod boni Prin-

Digitized by Google

cipis officium est, vt prius pacem offerat oppugnādis, quam bellum suscipiat; si modo pars aduersa satisfactionem debitam præstare parata sit, iuxta illud Deuteronomij: *Si quando accesseris ad oppugnandam ciuitatem, offeras ei primùm pacem; si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo. Sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam.* Et rectè S. Augustinus: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas.* At iusta pace refutata, non tenetur Princeps, aliquando non potest, illatas iniurias dissimulare. *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim Minister est vindex in iram ei, qui malum agit.* Et S. Augustinus: *Aduersus violentiam,* inquit, *resistentium gerenda ipsa bella suscipiuntur à bonis, siue Deo, siue aliquo imperio legitimo iubente.* Et alibi: *Iusta bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua Gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est.* Et quale quæso posteritati documentum transmissum, quàm grande omnibus Principibus præiudicium ac periculum fuisset creatum, si tam aperta subditorum rebellio sola lenitate & conniuētia summi Principis fuisset sustentata & quasi adiuta ac promota? Sed pergūt Regiæ literæ.

Deute 20. v. 10.

Augustin epist. 207. ad Bonifacium.

Rom. 13. v. 4.

August. lib. 22. contra Faustū, cap. 74.

August. q. 10. in libr. Iosue.

Ad demonstrationem verò sufficientem suæ paternæ Voluntatis, & quia miseris ac innocentibus hominibus ac subditis parsum esse in primis cupiebat, (supradictus Augustæ memoriæ Imperator Matthias) *ad restituendam pacem & tranquillitatem, supradictam causam primarijs quibusdam Sacri Imperij planè indifferentibus Electoribus*

ctoribus & Principibus, velut Interpositoribus commisit, nec ei fuisset quidquam gratius, quàm vt ea (Interpositio) *depositis armis, sine mora, (quæ tamen varijs omnis generis impedimentis interuenientibus impedita fuit) effectui dari potuisset: Quam propensos verò ad eiusmodi Interpositionem Boëmi subditi se præstiterint, & quales conditiones ab illis fuerint positæ, id editi super eâ re articuli & informationes, satis docuerunt.*

Hic vides, lector, nouum medium pacis restituendæ ab Imperatore Matthia propositum, plenũ lenitatis & Clementiæ, quo se obtulit ad æquissimã Compositionem, & quasi arbitrarium Principum omni exceptione maiorum, iudicium, vnà cũ suis subditis subeundum; sed partim à Boëmis iniquis conditionibus positis, partim ipsa deinde morte Imperatoris Matthiæ impeditum: vt mox subiungitur:

Cum porrò interim suprà sæpius nominata Cæsarea & Regia Maiestas, &c. mortem obijsset, atq; sic vigore nostræ Regiæ coronationis, & homagij à statibus Regni, Incorporatarumq; Prouinciarum præstiti, Regnum Boëmiæ vnà cum suis pertinentijs, ad nos perfectè deuolutum esset, non prætermisimus, quin ad anteuertendas omnes vlteriores calamitates, sine omni mora, omnem curam & prouidentiam tali Nouatione necessariam adhiberemus; nimirum ac in specie, vigore nostri Chirographi Regij, intra quatuor hebdomades confirmationem omnium priuilegiorũ Regni supremo Burggranio tradendam obtulimus; ac præterea curaturos recepimus, vt Regnum Boëmiæ vnà cum eius incolis, rursus in pacificum & trãquillum statum restituatur, & in eo conseruetur: Ius & iustitia promoueatur, omnibusq; administretur, sicut etiam,

tiam, postquam à supradictis subditis nostris, ad eiusmodi literas nostras nullum nobis responsum obtigit, Nos hoc non obtento, ad exequendum nostrum illud Regium Chirographum, significatam in eo confirmationem priuilegiorum in omnibus verbis, membris, & clausulis, vti à proximè defuncta Cæsareâ Maiestate, scripta & expedita fuerat, & quidem maioris securitatis causâ, duplicato exemplari, Pragam, ad manus prædicti Burggrauij, prout in supradicto Chirographo fuerat præscriptum, vnà cum alijs literis admonitorijs seu notificatorijs clausis, ad eos qui ex Baronū, Equitū & Ciuium statibus Pragæ congregati fuerant, incolas, per proprium Internuntium transmisimus; quæ omnia etiam præsentibus ex tribus statibus, ritè fuerant tradita, vt proinde vicissim iure merito consideremus, post præstitum à nobis officium, aliud nihil, quam similem redhibitionē officij, prout subditos ergà suum Regem legitimè acceptatum decebat, ecuturam.

Veruntamen contrarium adeò fuimus experti, vt non solum Regia nostra Confirmatio nōn fuerit acceptata, postulata, & nostro exercitui prius demandata, suspensio armorum refutata; ad nostras paternas ac benignas literas, quibus postulabatur, vt certas aliquas personas ex suo ordine sub nostro Regio saluæ fidei conductu, ad interloquendum, quomodo subortæ calamitosæ perturbationi quàm optimè & citissimè finis imponi posset, ad nos dirigerentur, nihil responsum: sed insuper condictio ad arma in toto Regno validè continuata; maior indies miles lustratus; Morauici status ad similem defectionem permoti; exercitus tàm pedestris, quàm equestris ad defensionem prædicti Marchionatus conductus, ad proprias eorum partes pertractus; Ciuitas Brunensis ex improuiso oppressa; Capitaneus prouinciæ, alijq́; officiales, malè tractati & Arresto conclusi; Metropolis Olomutium

proprio

Digitized by Google

proprio ausu & vi occupata; Senatus Ciuicus ibidē depositus; in præcipuâ Ecclesia ibidē Religionis exercitiū immutatū: Religiosæ personæ proscriptæ: bona Ecclesiastica ablata: Personæ Religiosæ vtriusq; sexus Virgines & mares, ad vota sua violāda inuitatæ; sublimes personæ, quibus fides & fidelitas cordi erat, quiq; se ab eiusmodi scandalosis machinationib⁹ separauerant, tanquā Patriæ Proditores proscripti & proclamati sunt: & postquàm ignis in Moraniâ benè succensus, idem etiam in Austriâ excitatus; Ciuitas Laa in finibus sita, hostiliter obsessa; breui postea ad Metropolim Viennensem, sub nostrum Conspectum temerè admoto exercitu; in nostram Cæsaream & Archiducalem arcem sine vllâ spe profectus, solùm ex petulantia tormenta explosa: quorsum verò & ad quem scopum hæc omnia fuerint tentata & suscepta, omnium iudicio considerandum & expendendum relinquimus.

Sed & ad hæc insuper accedit, quod suprà sæpius memorati Boëmi, durantibus Comitijs Electoralibus Francofurti, ad quæ Nos ratione Regni nostri, vi aureæ bullæ, legitimè vocati fuimus, nostram Electoralem sessionem, suffragium, & Electionem per suos delegatos summis viribus impedire conati sunt: sine nostro consensu & permissu, nostros hæreditarios subditos, sibi confœderatione iunxerunt; sine vlla legitima caussâ, perfidè ad aliam prorsus inanem, & tam priuilegijs prædicti Regni nostri, quàm sacri Romani Iuribus aduersam electionē eo ipso tempore processerūt, quo ab Electoribus sacri Imperij ad apicem Romani Imperij euecti sumus.

Vt taceamus ea, quæ ipsi post nostram Cæsaream electionem & Coronationem apud aliquam Hungarorum partem machinati sunt: eos à nostra fidelitate auertendo; abiurati hostis protectioni subiectum Principem Transyluanum Bethlcem Gabor, ad occupandam munitionem Cassouium, to-

tamq; superiorem Hungariam, consilio & auxilio adiuuãdo; vnà cum eius exercitu iterum transmisso Danubio, ad metropolin nostram Viennam alterâ iam vice, sub nostrum quasi conspectum propinquando; non alio vtiq; fine proposito, quam vt id exsequerentur & effectum darent, quod anteà iam tentauerant; nisi oppositu nostri militis fuissent impediti; cum id autem non successisset, nostram hæreditariam Prouinciam rursus rapinis & igne hostiliter depopulando; eaq; ratione propugnaculum sacri Romani Imperij, cuius defensio tam copioso sanguine & sudore Christiano & Germanico miserorum subditorum constitit, in extremum periculum conijciendo, in summâ, contra Nos, quamuis agnitum & acceptatum legitimum eorum Magistratum, à quo nec minimum quidem læsi fuerunt, adeò turpiter se gerendo ac procedendo, vt vix hostilius potuissent.

Quos inexcusabiles, & omnibus Diuinis ac humanis Iuribus repugnantes excessus, supradicti Defensores, ijsq; Adhærentes absq; noua iniuria & læsione nostræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis & Dignitatis tueri non potuerunt: eaq; de causa aduersus nostram Regiam Electionem, Publicationem, & Coronationẽ, omnis generis calumnias publicè sparserunt, speciatim quod nostro Regio Chirographo & promisso non satisfecerimus; è contrario verò Regno nostro decreta grauiter præiudicantia sanxerimus; & quæ sunt plures huius generis falsæ, nec vllo fundamento nixæ calumniæ & accusationes; quas hoc loco refutare nimis prolixum foret: sub qua tamen falsa traductione ipsi deniq; ad eiusmodi extremitates deuenerunt, vt fundamentales sanctiones Regni & Patriæ suæ, nimirum Caroli IV. Cæsaris auream bullam, Regis Vladislai ordinationem, Cæsaris Ferdinandi postremas Reuersales, Generales Constitutiones comitiorum Regni Anni

M.

Digitized by Google

MDXLVII. & constitutos ibidem articulos, in quos status ipsi compromiserunt & iurarunt, totamq; Patriam consuetudinem, & octingentorum annorum vsum; cum à tempore Primislai primi illorum Ducis, ad nos vsq;, nunquam quisquam in hoc Regno, nisi ex paterno, aut materno stemmate ad hoc natus, aut per nuptias Regiarum filiarum eò euectus, (Rege Rudolpho, qui per hereditaria pacta eò peruenit, & Rege Georgio exceptis) successerit vel admissus fuerit, omnia pariter vnâ vice euertere, nouamq; planè formam Regni proprio motu & arbitratu erigere ausi fuerint: sicut etiam Caroli Cæsaris Bullam, eiq; incorporatam declarationem priuilegij Imperatoris Friderici II. iam primum post ducentos septuaginta duos annos in controuersiam vocare: tamque laudato Cæsari & Regi Boëmiæ, qui inter omnes Reges hoc regnum præcipue exaltauit, & ad tantam dignitatem euexit, vt idcirco Pater & Fundator eiusdem semper habitus fuerit, attribuere non sunt veriti; typisq; publicis spargere, quasi ille loco declarationis priuilegia ipsorum inique ad vtilitatem suorum successorum & hæredum falsarit, plusq; in ijs progressus fuerit, quam ipsi fas esset, & in aurea Bulla Imperiali concessum fuerit; cum tamē supradictum priuilegium cum scitu & consensu sacri Imperij electorum & communium ac congregatorum statuum Boëmiæ concessum, & à Boëmicis statibus acceptatum, Bullam auream Norimbergæ erectam non solum antecesserit, sed in ea etiam expresse reseruatum & confirmatum fuerit; vt merito plane admiranda sit temeritas, in quam hi nostri inobedientes & repugnantes subditi deniq; inciderunt.

Quibus verbis à Cæsare sigillatim exprimuntur ingentes lapsus & culpæ, quos Boëmi rebelles, post obitum Imperatoris Matthiæ; partim erga finitimas

nitimas prouincias & totam Christianitatem, partim erga ipsam personam viuam Regis & Imperatoris Ferdinandi, aliosq; antiquos Reges & Imperatores optimos & de Regno Boëmiæ optime meritos, partim ad prouehenda sua consilia, partim ad excusandas & tuendas machinationes admiserunt. Simul etiam patet, quam modernus Augustissimus Cæsar & Rex Boëmiæ, iam ab initio Regiæ suæ administrationis alienus fuerit à belli consilijs; quámq; ad omnem æquitatem, pacem & tranquillitatem propensus, omnia afferẽdo & præstando erga suos subditos, quæ vel ab optimo & amantissimo Patre postulari aut exspectari poterant. Quibus tamen omnibus impudenter spretis, Boëmi summa temeritate in sua obstinatione perstiterunt, & adhuc tamen nouos asseclas & fautores suorum consiliorum repererunt, vt mox sequentibus verbis declaratur.

Tametsi verò nobis persuadere minime poteramus, scandalosam hanc Boëmorum causam & rebellem machinationem vlli æquitatis amanti probari posse, præsertim verò alicui Imperij Principi, qui & ipse etiam subditos sibi à præpotente Deo & sacro Imperio commissos regendos habeat, vtpote à quibus vtiq; talem ausum nemo libenter experiri vellet; multò minus autem sperabamus, vllum causa incognita, & nostris nostræq; domus Iuribus non perspectis, permotum iri ad præiudicium aliquod in hoc nostro regno nobis inferendũ, irritæq; illi electioni consentiendum; tamen in hoc ipso etiam votis nostrorum sæpius memoratorũ Rebellium subditorum, contra spem ferè omnium, imo etiam præter & contra beneuolas admonitiones diuersorum sacri Imperij fidelium, Iuris &

Pa..

Pacis amantium, Electorum & principum, nihil defuit: vt facile inde conijci possit (quod quidem à multis iam dudum existimabatur, nec plane obscuris signis indicabatur) de tali nouatione & perturbatione in Regna inuehenda, ab antesignanis illis iam dudum ab initio cogitatum fuisse.

Qua ratione porro (omissa inhabilitate eligentiũ vnius partis statuum, & nullitate totius electionis) sine vlla deductione iuriũ, absq; saluatione, absolutione & remissione ab ipsis statibus præstiti nobis Iuramenti & fidei (quæ omnia nostros rebelles subditos cõcernũt) subsecuta ex altera parte acceptatio nostri hæreditarij Regni, susceptio subditorum nostrorum sub alienam fidem, & ipsa demum actualis destitutio omnibus Iuribus & constitutionibus Imperij, præsertim verò grauiter confirmatæ & iuratæ pacificationis formulæ contraria, Exemplo plane scandaloso, omnibusq; Potentatibus & Regentibus supra modum præiudiciali; quod nec ipse quidem Turcæ & Tartari probarint, apud DEVM summũ Iudicem omniũ regum & magnatum, atq; etiam coram hoc mundo, & subsecutura posteritate, præsertim vero coram ipso sacro Romano Imperio defendi possit, à quo Electoratus ille & Archipincernæ munus in feudum conferri solet; cuius Electores principes & status, in quibus etiam ipse Elector Palatinus, Nos pro legitimo, acceptato, & coronato Rege Boëmiæ agnouerunt & receperunt, quin etiam intuitu eius Regiæ dignitatis, ad electionem Romanorum Regis admiserunt, cum ille sese etiam mox post excitatũ tumultũ ad benignã interpositionis tractationẽ non solum obtulerit, sed eam etiam post successionẽ ad nos rite & legitime deuolutam, continuarit, imo etiam ad eundem finem eodem electionis & coronationis tempore, litteras denunciatorias ad instituendum benignum interpositionis negotium à congregato Electorum collegio approbatas & trans-

actas simul expediri & subscribi curauerit; præsertim quando nec minimum conscij nobis sumus, vel leuissima cuiusquã offensæ vllam à nobis causam esse datam, sed potius in eam rem omnem operam à nobis collatam, vt amicitia, confidentia, & beneuolentia conseruari & augeri posset, id nos ijs explicandum permittimus, qui ad hæc omnia nutum & consilium præstiterunt, vel etiam absq; necessaria informatione accepta & exploratione iurium eò sese permoueri passi sunt; qui etiam diuinam vindictam quam erga se tali iniustitia prouocarunt non euadent.

Iusta sanè hæc querela est aduersus eos, qui iniquissimis consilijs seducti, irritæ Boëmorum Noui Regis electioni consenserunt, eamq́ue acceptarunt aduersus quos Cæsar ita deniq; perorat:

Ne verò silentium nostrum & taciturnitas, ad irritam illam & temere præsumptam Electionis tractationem, & ea, quæ ei sunt adiuncta, in nostrũ veluti legitimè coronati Boëmiæ Regis præiudicium à quoquam trahatur; ac vt omnibus de nostro proposito & intentione constet, ideo ijs omnibus quæ contra nos & domum nostrum de facto ac proprio priuatoq; motu attentata fuêre, & nunc hodie porrò continuantur, inprimis verò attentata contra nos inani Electioni & Coronationi, atq; inde profecta præsumpta defensioni & occupationi Regni nostri, & incorporatarum prouinciarum, non solum hisce litteris in optima Iuris forma contradicimus; sed ea etiam Cæsareâ & Regiâ Auctoritate cassamus & annullamus; prout etiam per se alias iniusta, nulla & irrita sunt. Nobis etiam nostræq; inclita Domui omnia iure concessa media & remedia, etiam iustis armis non exclusis; nec non & pœnas omnes, ac multas, quæ talibus delictis in communibus etiam Feudalibus iuribus, & Imperialibus, ac Regni

Boëmi-

Digitized by Google

Boemiæ Constitutionibus decreta sunt, hisce expresse reseruantes.

Protestamur simul coram DEO, & vniuerso mundo, Nos, sicuti hactenus nihil magis curæ nobis fuit, quam vt pacem & tranquillitatem nostris Regnis & Prouincijs redderemus nostrosq; miseros subditos ab extremo interitu ac pernitie vindicaremus, simul tamen etiam quæ nobis tumultu ac rebellione ablata fuere, recuperaremus, nostram Imperatoriã ac Regiam sublimitatem ac honorem tueremur; ita nos etiã in posterum eodem animo affectos esse. Et quoniam non sine magno animi dolore ex aduerso cogitamus, quantæ hactenus, culpa paucorum pertinacium, qui sub pallio Religionis execrabilem suam rebellionem contegunt, miseris subditis nostris calamitates & clades corporum & bonorum, ab vna, vel altera parte Exercitus illatæ fuerint, Protestamur hic pariter, Nos ab omni culpa effusi innoxij sanguinis, paupertatis, & interitus illati, quæ infestum hoc bellum, nemini magis, quã nobis ipsis noxium, quando de nostris Prouincijs & subditis agitur, adfert, & posthac adferre posset, immunes ac plane innoxios esse velle: quandoquidem nobis coram DEO, ita testante conscientia nostra, plane conscij sumus, quod ad eiusmodi perturbationes & clades causam nullam præbuerimus, sed omnia, ad quæ nos regium nostrum Chirographum & codicillus obstrinxerunt, plane satisfecerimus; parati etiamnum, si vllum hac in parte defectum agnosceremus, ea omnia bona & integra fide exequi, absq; eo, vt statum vllum in religione alijsq; prophanis rebus aduersus obtenta Priuilegia & Maiestatis litteras grauare velimus, vel vt ab alijs grauentur promittere.

Testamur etiam hisce pariter, si quando ab exercitu nostro contra belli Iura, ordinationes & articulorum litteras, depræ-

depraedationibus, incendijs, nece innocentum personarum, foeminarum, & infantium; violatione honestarum matronarum & Virginum; alijsue delictis quidpiam admissum fuerit, Nos haec omnia veluti contra nostram mentem & intentionem, imo contra mandatum gesta, animo grauiter persentiscere; ac si ad nos super his legitima querela fuisset delata, aut post haec deferretur, Nos haec aduersus eos, aut eorum duces & praefectos, si quando ea potuissent cauere & auertere, non inulta relicturos, sed legitima poena castigaturos.

E contrario verò obligatos Nos esse sentimus & obstrictos, nec id à quoquam vitio nobis verti potest, vt Regna & prouincias nostras, & quae his iure sunt annexa, aduersus quoslibet aduersarios tueamur, excitatam in ijs rebellionem summis viribus comprimamus, nostros oppressos subditos, qui nobis subditi sunt, & vi armata, ne fidelitatem, obedientiam, & subiectionem suam profiteri possint, detinentur & cohibentur, in pristinam libertatem restituamus; id etiam, quod nobis violenter ademptum, medijs legitimis recuperemus; in summa, sacri Romani Imperij, nostra, nostraeq; domus Iura, Priuilegia, & Immunitates, vsque ad extremam sanguinis guttam propugnemus & defendamus. In qua tam iusta caussa, praeter auxilium & praesidium diuinum, de omnibus etiam Potentatibus, Principibus, & Magistratibus; quandoquidem ipsis etiam, propter scandalosum exemplum, periculosum foret, si ad eiusmodi subditorum perduellionem conniueretur; praecipuè verò de S. Romani Imperij Electoribus & statibus, vtpote quibus praeterea etiam altera illa inanis Electio non parum praeiudicauit, plane confidimus, eos omni fauore, ope & auxilio nobis adfuturos; idq; ab eis etiam hisce amicè & gratiosè requisitum volumus. Offeri-

mus vicissim omnibus & singulis illis, omnem nostram Cæsaream protectionem, speciatim constitutæ pacificationis, tam Religionem, quam profana concernentis: siquidem in hoc nostro Cæsareo munere, sicuti exemplum laudabile nostri Domini Aui, qui similiter perturbatis temporibus in sacro Imperio pericula auertit, & securitatem reddidit; cuius etiam nomen gerimus, in id præcipue incumbimus, vt omni diffidentia sublata, constans Pax & concordia, qua sacrum Romanum Imperium viribus & gloria supra alias nationes se extulit, omnibus locis restitui & conseruari possit. Quæ nos compellente necessitate, his Patentibus palam intimanda omnibus duximus: Charitati interim & Reuerentiæ Vestræ, ac Vobis, amicitia, cognationis, & affinitatis beneuolentia, Cæsarea gratia, omnisq; boni affectu inprimis addicti & propensi. Datæ in ciuitate nostra Vienna vigesimo nono Mensis Januarij, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo; Regnorum nostrorum, Romani primo, Hungarici secundo, & Boëmici tertio.

Ex his iam denuò etiam atq; etiam consideret Lector, veritatis & germanæ sinceritatis amans; quænam pars bello & subsecutis calamitatib⁹ caussam præstiterit; quis malorũ omnium culpam sustineat; Catholicine, & in ijs potissimum Iesuitæ (quos hoc negotium vel minima ex parte attingit) an Acatholici Iesuitarum hostes; Hispanine, eorũque amici, quos incusare etiam alias solent Aduersarij, an Boëmi, excitatæ seditionis Duces; Regesne & Principes Catholicæ religionis Defensores, an subditi Rebelles, eorumq; coniurati Catholicæ Religionis hostes, & Caluini spiritu perfusi.

Consideret simul etiam quod Iesuitis aliqui ca-

lumniosè affingere solent Caluinistæ; quinam sint illi, qui turbas & seditiones excitant; qui subditos à fidelitate debita auertunt; & contra legitimũ magistratum ad arma accendunt; qui fidem & iuramenta violant; violandaq; docent ac suadent; qui summos' Principes' & Reges' suos' legitimos contemnere, opprimere, exauctorare summis viribus nituntur.

Ad hæc Boëmi ipsi considerent, qui ad hanc rebellionẽ se induci sub spe libertatis permiserunt; an ea ratione spei compotes facti sint; an non potius & patria, & Religio ipsorum magna ex parte misere oppressa; annon paulatim Caluini spiritu ac violentia Religiones illorum antiquiori possessionis Iure potiores, Catholica dico omnium antiquissima; Hussitica, & Lutherana, sensim subiugũ mittantur; imaginibus iam & sacris Reliquijs (quę inter varias quidem religiones, apud ipsos tamen semper hactenus inuiolatæ permanserant) sacrilego Caluini furore & inexpiabili scelere, è summa ac primaria Catholicorum Ecclesia confractis, deiectis, exturbatis, combustis, &c.

Deniq; si verum est, quod S. Augustinus verbis superius citatis docuit, quod docti, quod orthodoxi omnes, quod omnes omnium in Imperio religionum asseclæ, quod Jura omnia, diuina & humana loquuntur, bellum iustum, suscipi *aduersus violentiam resistentium, & ad vlciscendas iniurias, si quæ gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est*; cogitet quisquis hæc legis, an cul-

pari

pari Princeps ille possit, qui ad vindicandas grauissimas sibi suisque illatas iniurias, ad recuperanda Regna sua, & Prouincias, ad tuendam communem Imperij ac Principum authoritatem, bellum contra rebelles ac seditiosos subditos, eorumq; coniuratos suscipit: quod proinde etiam, licet alioqui minime optabile, æquo animo non secus, atq; aliæ pœnæ, quas ob hominum peccata DEVS immittit, tolerandum est, donec DEI benignitate optata Pax restituatur.

CAPVT VII.

Causam generalem bellorum esse peccata; quæ proinde omni studio emendanda.

VTi rerum naturaliū duplices à Philosophis causæ assignantur; vniuersales quædam; aliæ particulares; ita etiam duplex bellorum, aliorumq; malorum ac pœnarum, quæ diuinitus infliguntur, ex parte hominum, causa potest assignari; propinqua nimirum, & remota: seu cōmunis & generalis; & propria ac specialis. Causa specialis est iniuria aduersæ partis, seu bello repellenda, seu compensanda, seu etiam vindicanda; quam in præsente hac belli machinatione, ex Caluini quidem schola haustam, immediatè verò penes Boëmos rebelles eorumq; coniuratos residere, satis ex capite præcedenti liquet.

Cæterum quia bella, quandiu durant, vtrique parti, adeoque quam plurimis, ab illatæ iniuriæ com-

lumniosè affingere solent Caluinistæ; quinam sint illi, qui turbas & seditiones excitant; qui subditos à fidelitate debita auertunt; & contra legitimũ magistratum ad arma accendunt; qui fidem & iuramenta violant; violandaq; docent ac suadent; qui summos' Principes' & Reges' suos' legitimos contemnere, opprimere, exauctorare summis viribus nituntur..

Ad hæc Boëmi ipsi considerent, qui ad hanc rebellionẽ se induci sub spe libertatis permiserunt; an ea ratione spei compotes facti sint; an non potius & patria, & Religio ipsorum magna ex parte miserè oppressa; annon paulatim Caluini spiritu ac violentia Religiones illorum antiquiori possessionis Iure potiores, Catholica dico omnium antiquissima; Hussitica, & Lutherana, sensim subiugũ mittantur; imaginibus iam & sacris Reliquijs (quę inter varias quidem religiones, apud ipsos tamen semper hactenus inuiolatæ permanserant) sacrilego Caluini furore & inexpiabili scelere, è summa ac primaria Catholicorum Ecclesia confractis, deiectis, exturbatis, combustis, &c.

Deniq; si verum est, quòd S. Augustinus verbis superius citatis docuit, quod docti, quod orthodoxi omnes, quod omnes omnium in Imperio religionum asseclæ, quod Jura omnia, diuina & humana loquuntur, bellum iustum, suscipi *aduersus violentiam resistentium, & ad vlciscendas iniurias, si quæ gens vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniuriam ablatum est*; cogitet quisquis hæc legis, an cul-

pari Princeps ille possit, qui ad vindicandas grauissimas sibi suisque illatas iniurias, ad recuperanda Regna sua, & Prouincias, ad tuendam communem Imperij ac Principum authoritatem, bellum contra rebelles ac seditiosos subditos, eorumq; coniuratos suscipit: quod proinde etiam, licet alioqui minime optabile, æquo animo non secus, atq; aliæ pœnæ, quas ob hominum peccata DEVS immittit, tolerandum est, donec DEI benignitate optata Pax restituatur.

CAPVT VIII.

Causam generalem bellorum esse peccata; quæ proinde omni studio emendanda.

VTi rerum naturaliũ duplices à Philosophis causæ assignantur; vniuersales quædam; aliæ particulares; ita etiam duplex bellorum, aliorumq; malorum ac pœnarum, quæ diuinitus infliguntur, ex parte hominum, causa potest assignari; propinqua nimirum, & remota: seu cõmunis & generalis; & propria ac specialis. Causa specialis est iniuria aduersæ partis, seu bello repellenda, seu compensanda, seu etiam vindicanda; quam in præsente hac belli machinatione, ex Caluini quidem schola haustam, immediatè verò penes Boëmos rebelles eorumq; coniuratos residere, satis ex capite præcedenti liquet.

Cæterum quia bella, quandiu durant, vtrique parti, adeoque quam plurimis, ab illatæ iniuriæ

communione immunibus, solent esse noxia; nec tamen sine peculiari Dei prouidentia quicquam geritur; neq; vllum etiam pœnæ malum est, quod non à Deo iusto iudice, aut directè infligatur, aut certè permittatur; iuxta illud Prophetæ: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Et alibi de se Deus ipse, *Ego Dominus*, inquit, *& non est alter; formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; ego Dominus faciens omnia hæc:* non est in ea causa Christiano homini conquiescendum. Sed vlterius inquirẽdum, quidnam Deum permoueat, vt & bella, ac bellorum causas, & tanta, quæ cum bellis vtrinq; coniuncta solent esse mala, permittat. Eius verò rei causam aliam non esse, quam vtriusq; partis peccata, quæ Deus tum alijs pœnis, tum etiam bellis vindicare soleat, ex scriptura sacra est manifestissimum.

Amos 3. v. 6.

Esa. 45. v. 7.

Ita enim loquitur Deus ad Israelem; *Quod si nec sic volueritis recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoq; contra vos aduersus incedam, & percutiam vos septies, propter peccata vestra: inducamq; super vos gladium, vltorem fœderis mei: cumq; confugeritis in vrbes, mittam pestilentiam in medio vestri, & trademini in manus hostium.* Quare etiam Moyses inter alias pœnas transgressoribus legis diuinæ iusto Dei iudicio infligendas, bella quoq; ac hostiles vastationes depopulationesq; commemorat: *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius & cæremonias quas ego præcipio tibi hodie; venient super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te, & c. tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos: per vnam*

Leuit. 26. v. 23.

Deuter. 28. v. 15. 25. & 52.

Digitized by Google

viam egredieris contra eos, & per septem fugies, & disperges per omnia regna terræ, &c. obsideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus. Et rursus: *Foris vastabit eos gladius & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.* Deut. 32. v. 25.

Idem speciatim ob apostasiam à religione minatur Deus per Iosue: *Quodsi volueritis gentium harũ, quæ inter vos habitant, erroribus adhærere, & cum eis miscere connubia atq; amicitias copulare; iam nunc scitote, quod Dominus Deus vester non eas deleat ante faciem vestrã; sed sint vobis in foueam, ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atq; disperdat de terra hac optima, quam tradidit vobis.* Iosue 23. v. 12.

Nec minus opere præstitit Deus, quam verbis minatus fuerat. Quia enim Iudæi *dimiserant Dominum Deum, seruientes Baal & Astaroth, iratus Dominus* (inquit scriptura) *contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, qui habitabant per gyrum, nec potuerunt resistere aduersarijs suis.* Quod in libris Iudicum & Regum sæpenumero videre est; cum Israelitæ ob sua peccata, modo à Chananæis; iam à Madianitis; modo à Philistæis; nunc ab Idumæis & Moabitis; denique ab Assyrijs, Chaldæis, alijsque gentibus, grauissimis bellis affligerentur, & tandem prorsus contererentur. Iudic. 2. v. 14.

Et Prophetæ quid crebrius agunt, quàm quòd peccata populi reprehendunt, eisq; diuinæ vindictæ pœnas, præsertim verò bellorum, ac grassationum hostilium vastationes, denunciant. Isaias: *Væ,* inquit, *genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphema-* Isai. 1. v. 4. & 7.

 uerunt

nerunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum, &c. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant; & desolabitur sicut in vastitate hostili.

Et Ieremias: *Nunquid seruus est Israel, aut vernaculus? quare ergo factus est in prædam? super eam rugierunt leones, & dederunt vocem suam, posuerunt terram eius in solitudinem: ciuitates eius exustæ sunt, & non est qui habitet in eis, &c. Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum, &c. scito & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum.*

Ierem. 2. v. 14.

Et in lamentationibus ob captiuitatem populi, & desolationē Hierosolymitanæ ciuitatis: *Facti sunt*, inquit, *hostes eius in capite; inimici eius locupletati sunt: quia Dominus locutus est super eum, propter multitudinem iniquitatum, &c. Mandauit Dominus aduersum Jacob in circuitu eius hostes eius.*

Ierem. Thren. 1. v. 5. & 17.

His accinit Propheta Baruch: *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? &c. Dereliquisti fontem sapientiæ; nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtiq; in pace sempiterna. Disce vbi sit prudentia; vbi sit virtus; vbi sit intellectus: vt scias simul, vbi sit longiturnitas vitæ, & virtus; vbi sit lumen oculorum, & pax.* Nimirum non cælestia tantum, sed etiam caduca bona, vitæ diuturnitas, victus abundantia, pax, veris Dei cultoribus promittuntur. Omitto innumera alia scripturæ testimonia; quibus generatim ob peccata etiam fidelis populi, belli pœna à Deo iusto Iudice decernitur.

Baruch. 3. v. 10.

Idem etiam de populo Israelitico notauit S. Augustinus: *Temporibus Judicum*, inquit, *sicuti se habebant*

August. lib. 10. de ciuit. c. 43.

bebant & peccata populi, & misericordia Dei, alternauerunt prospera & aduersa bellorum. Et de temporibus Regum tam Israelis quam Iuda, *Vtraq; pars,* inquit, *sicut iubebat diuina prouidentia, vel sinebat, varijs & erigebatur prosperitatibus, & aduersitatibus premebatur; & sic affligebatur non solum externis, verum etiam inter se ciuilibus bellis; vt certis existentibus causis, misericordia Dei, vel ira patesceret; donec eius indignatione crescente, vniuersa gens illa à Chaldæis debellantibus, non solũ subuerteretur in sedibus suis, sed etiam ex maxima sui parte transferretur in terram Assyriorum prius illa pars, quæ vocabatur Israel, in tribubus decem.* August. ibid. lib. 17. c. 23.

Quod si quis eorum peccatorum, quę Deo vindice bellis ac vastitatibus hostilib⁹ castigata fuêre, exempla particularia requirat, facilè inueniet in ipsa scriptura sacra quam plurima; & quidem hac varietate distincta, quod bella quædam ob peccata communia magistratus & populi diuinitus inflicta sunt. Talia inprimis sunt bella, quibus Israelitæ ac Iudæi deniq; tum in Assyriorum, tùm Babyloniorum captiuitatem abducti, totaq; eorum terra ab Alienigenis & barbaris gentibus vastata, & seruituti subiecta fuit. *Propter peccata,* inquit Propheta Baruch, *quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui à Nabuchodonosor Rege Babyloniorum.* Tale fuit etiam bellum Romanorum, quo ob Christi damnati & occisi sacrilegum Scelus, Iudæa capta, Hierosolyma à Romanis vastata, totaq; gens Iudęorum miserrima clade, partim internecioni data, partim in captiuitatem abducta, totoq; terrarum orbe misere dispersa fuit. Nimirum iuxta sapientis Baruch. cap. 6. vers. 1.

Eccles.10.v.8. tis admonitionem, *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos.*

Nonnunquã verò bella, ob peccata Principis, totum etiam populum, omnesq; eius subditos affligunt. Illustre huius exemplum præbet Dauid. Is magnus quidem & sanctus Princeps erat, vir etiã *secundum cor Dei*; attamen cum humana fragilitate lapsus, adulterium simul, & homicidium perpetrasset, mox ei Dominus, inter cæteras pœnas, per Prophetam Nathan hanc sententiam denunciauit:

2.Reg.12.v.9. 10. *Vriam Hethæum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi, & interfecisti eum gladio filiorum Ammon. Quam obrem non recedet gladius de terra tua, vsq; in sempiternum.* Vbi vides, nonnunquam ob peccata Maiorum, bello castigari etiam posteros.

Id quod exẽplo Manassæ Regis Iuda fit clarius. Quantumuis enim Iosias nepos eius à zelo religionis commendetur, vt dictum etiam capite 3. *non tamen*, vt scriptura loquitur, *est auersus Dominus ab ira* 4.Reg.23.v.26. *furoris sui magni, quo iratus est furor eius contra Judam, propter irritationes, quibus* (iam olim) *prouocauerat eum Manasses*: quin & Iudam auferendum, & in captiuitatem abducendum decerneret.

Rursum cum elationis spiritu delusus Dauid, numerandum curasset populum (& quantulũ hoc in oculis hominum peccatum, & annon in simili aliquo genere pene quotidianum?) mox ei inter tria pœnarum genera, è quibus etiam hostile bellum,

2.Reg.24.v.12. necessaria optio, Deo iubente indicta fuit: *Hæc dicit Dominus*, ait Propheta Gad: *Trium tibi datur optio*

elige

Digitized by Google

elige vnum, quod volueris ex his, vt faciam tibi. Cumq; venisset Gad ad Dauid nuntiauit ei dicens, aut septem annis veniet tibi fames in terra tua aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur; aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua. Et quamuis Dauid postremum supplicium cæteris prætulerit, ex eo tamen ipso conijci potest, grauitas etiã cæterorum; quãdo illo ipso pestis diuinitus illatæ flagello, ob id peccatũ Dauidis, *septuaginta millia virorũ*, ex populo Israel ceciderunt. Grauis quidẽ & terribilis vindictæ diuinæ Principis in suis subditis, perpetua mẽmoria; sed nõ iniustæ; quando Deus vitæ omnium Dominus est, qui iure suo, peccata Principis subditorum morte expiat: præsertim quando suis etiã ipsi priuatis delictis Dei vindictam promerentur. Et vehementer quidem Dauid obtestabatur Deum, vt pœnam hanc ab innocenti populo amoliretur, ac in se qui peccauerat, solũ conuerteret; *Ego*, inquit, *qui peccaui; ego qui malum feci: iste grex quid commeruit? Domine Deus meus, vertatur obsecro manus tua in me, & in domum Patris mei, populus autem tuus non percutiatur:* sed nihil hoc obstitit Deo, quò minus designatam pœnam exequeretur, in ea ipsa re puniendo Dauidem, cuius elatione peccauerat. *1. Paralip. 21.*

Sed & propter peccatum priuatum vnius militis, totus aliquando exercitus, etiam cæteroqui fidelis etiam in iusta belli causa, à Deo plectitur. Terribile huius rei exemplũ exstat in Iosue libro. *Iosue 7.* Cum enim in expugnatione vrbis Hiericho Achan, miles Israelitici exercitus, contra Dei mandatum, ex spolijs eius ciuitatis sibi quippiam reseruando,

sacrilego furto se contaminasset, mox iratus Deus; in subsecuta oppugnatione vrbis Hai, exercitum Israëlis turpiter fugatũ hostium potestati subiecit, cum ingenti totius populi trepidatione & consternatione; ita vt summus vereq; pius belli Dux Iosue exclamaret: *Mi Domine Deus; quid dicam, videns Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananæi, & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atq; delebunt nomen nostrum de terra. Et quid facies magno nomini tuo?* Neq; verò prius ira Dei conquieuit, quàm diuino indicio proditus Achan, à toto Israele *lapidibus obrutus, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta* essent: *Anathema*, inquit Deus, *in medio tui est, Israel: non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere.*

Ita profectò est: seuero quidem, sed iusto Dei iudicio accidit, vt cũ morte quidem æterna nemo
Ezech.18.v.20 puniatur, ob peccatum alterius; *anima enim, quæ peccauerit ipsa morietur:* temporali tamẽ pœna huius vitæ sæpe innocentes cum nocentibus inuoluantur;
Exod.20.v.5. Deo puniente peccata parentum in filijs, & magistratuum in subditis, & subditorum in ipso etiam Principe; præsertim quando culpabili eius conniuentia peccandi licentia creuit.

Et verò quamuis Deus etiam infidelium peccata sæpe in hac vita castiget bello, alijsq; pœnis, tamẽ peculiariter hoc cernere est in populo fideli; vt magis quodammodo animaduersio Dei ac punitio, si quandò peccauerint, in eum incumbat, quã in gentiles aut cæteros infideles. Indicat hoc Deus
Amos 3.v.1. ipse apud Prophetam Amos, cum ad Israeliticum

popu-

Digitized by Google

populum, quem ex omnibus gentibus sibi peculiariter in populum delegerat; ita loquitur: *Tantummodo vos cognoui, ex omnibus cognationibus terræ: idcircò visitabo super vos* (peculiariter scilicet, etiam in hac vita) *omnes iniquitates vestras.*

Nec deest iusta huius rei ratio. Primum, quia quo quisq; maioribus à Deo beneficijs affectus est, eò maius est in offensa Dei ingratitudinis vitium: quod proinde iure merito grauius à Deo castigatur. In hunc sensum S. Augustinus: *Illis*, inquit, *qui contra Christianam fidem, querelas impias iactare non quiescunt, dicentes, quod antequam ista doctrina per mundum prædicaretur, tanta mala non patiebatur genus humanum; facile est ex Euangelio respondere: Dominus enim dicit; seruus nesciens Domini voluntatem, & faciens digna plagis, vapulabit paucis; seruus autem sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulabit multis. Quid ergò mirum, si Christianis temporibus, iste mundus, tanquã seruus iam sciens voluntatem Domini sui, & faciens digna plagis, vapulet multis.* August. epist. 122.

Deinde quia hæc ipsa animaduersio Dei, affectus paterni signũ est, in hac vita castigantis filios, vt ipsis in æternum parcat, aut eos etiam ad pietatis ac virtutis normam diligentiùs excolat. In quẽ sensum Apostolus etiã Christianos ad patientiam hortatur: *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neq; fatigeris dum ab eo argueris: Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. In disciplina perseuerate. Tanquã filijs vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quodsi extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergò adulteri, &* Hebre. 12.

non filij estis, &c. Omnis autem disciplina, in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Nimirum eadem ratione etiam herus quisq; in suis mancipijs multa sæpe dissimulat, quæ in filijs castigat.

Deniq; infidelibus cũ in eo statu æterna bona contingere non possint, Deus eorum recte facta quandoq; in hac vita temporalibus commodis libentius remunerat, quam suorum electorum, quibus æterna potius præmia destinauit. Ita de Nabuchodonosore ex diuino nutu, nec sine labore, Tyrũ vastante loquitur Deus, apud Ezechielem: *Fili hominis, Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrũ; omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est: & merces non est reddita ei, neq; exercitui eius de Tyro, pro seruitute qua seruiuit mihi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti; & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius, & erit merces exercitui eius, & operi, quo seruiuit aduersus eam: dedi ei terram Ægypti, pro eo, quod laborauerit mihi, ait Dominus Deus.* E contrario ad omnes infideles pertinet illud ad Tyrum dictum: *Porro cum dedero* (electis) *gloriam in terra viuentium, in nihilum redigam te.* Quod nimirum fiet in extremo iudicio, in quo præter fideles impios, omnes Ethnici & infideles æternis inferorum cruciatibus addicentur.

Ezech. 29. v. 18.

Ezech. 26. Vers. 20.

Quibus de causis, & quia, vti hactenus demonstratum, bellum ac hostilis vastitas eorum etiam

pecca-

peccatorum pœna est, quæ à populo fideli perpetrantur; Achior Ammonitarum Dux, ex Israelitis quidem non natus, sed in historia Israelitarum versatissimus, eorumque fautor, non dubitauit etiam cum periculo capitis sui, coram superbo Holoferne, hanc erga Israelitas diuinæ beneuolētiæ & protectionis gratiam profiteri, vt is plane sibi persuasum esse vellet, Israelitas ab eo vinci non posse, si DEVM illi suum non offendissent: *Vbicunq, inquit, ingressi sunt, sine arcu & sagitta, & absq scuto & gladio, DEVS eorum pugnauit pro eis, & vicit. Et non fuit, qui insultaret populo huic, nisi quando recessit à cultu Domini DEI sui. Quotiescunq autem præter ipsum DEVM suum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Quotiescunq autem pœnituerunt, se recessisse à cultura DEI sui, dedit eis DEVS cœli virtutem resistēdi. Deniq Chananæum Regem, & Iebusæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Heuæum, & Amorrhæum, & omnes Potentes in Hesebon prostrauerunt; & terras eorum, & ciuitates eorum ipsi possederunt: & vsq dum non peccarent in conspectu DEI sui, erant cum illis bona: DEVS enim illorum odit iniquitatem. Nam & ante hos annos, cū recessissent à via, quam dederat illis DEVS, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominū DEVM suum, ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterū possident Jerusalem, vbi sunt sancta eorum. Nunc ergo, mi Domine, perquire; si est aliqua iniquitas eorum, in conspectu DEI eorum; ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos DEVS eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentia* Iudith, cap. 5.

tia tua. Si verò non est offensio populi huius, coram DEO suo non poterimus resistere illis: quoniam DEVS eorũ defendet illos, & erimus in opprobrium vniuersæ terræ. Ita Achior, optimus disputator, & quasi promotor communis causæ DEI & Israelitarum, pie & erudite ad superbum Assyriorum ducem perorauit; hac velut vniuersali lege DEI promulgata: Fidelem populum ab infidelibus vinci non posse, nisi peccatis illius id exigentibus.

Quæ quisquis hoc rerum statu considerat, mirari plane desinet, cur DEVS tum alijs calamitatib⁹ Principum etiam Catholicorũ prouincias in Germania, tum bellis ac bellorum cladibus quandoq; castiget. Quis enim non videt, quanta peccatorũ ac scelerum grauissimorũ colluuies, per miseram vndiq; Germaniam (vt de alijs interim Christiani orbis prouincijs taceam) inundent: quantæ iniquitates, quam detestabiles diuinæ Maiestatis offensæ passim domi forisq;, publice ac priuatim grassentur; hæreses, inquam, inter innumeros innumeræ, apostasiæ, sacrilegia, & abominationes infinitæ, præcipue strigum & sagarum: blasphemiæ, maledicta, ac periuria plurimorum pene continua; superstitiones, cultus diuini neglectus, violatio Iuriũ Ecclesiæ & irreligiositas quotidiana; ipsorũ etiam diuinorum sacramentorum, quæ velut singularia aduersus peccata remedia & antidota diuinit⁹ sunt instituta, fœdus & sacrilegus abusus, ac impia profanatio: quæ omnia & singula ferè scelera aduersus DEVM & diuinam Maiestatem directè pugnant.

Quid

Quid iam commemorem peccata aduersus proximos, odia, calumnias, contumelias, detractiones, rixas, vsuras, fraudes, oppressionem innocentum, viduarum, pupillorum, pauperum; fastum & arrogantiam diuitum. Quid peccata carnis? quæ iam à multis quasi pro ludo, & ioco publico habentur; impudicitiam, inquam, molliciem, gestus, ludos, tactus obscœnos; choreas lasciuas; taceo quæ in occulto geruntur, adulteria, incæstus, nefandas libidines, & quòd nec in matrimonio thorus immaculatus: & tamen prò dolor, inter Christianos aliquando nec ista desunt: Nec verò adeo occulta sunt, quin heu nimis crebro, nimisq; apertis indicijs se prodant.

Vere nunc etiam dici potest, quod ad Israelem olim DEVS per Oseam Prophetã locutus est: *Audite verbum Domini, filij Israel; quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia DEI in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit: propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea.* Osea 4. v. 1.

Et quod S. Paulus olim quidem ad Galatas corrigendos protulit, nunc etiam ad præsentes huius seculi mores castigandos verè & accommodatè dici potest: *Manifesta* (& omnium propemodũ oculis exposita, etiam in terris Christianorum) *sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut* Gal. 5. v. 19.

sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Et adhuc miretur aliquis? terris Christianorũ subinde famem, bella, aliasq; pœnas à DEO iusto iudice immitti: cum tamen olim DEVS toties repetitis verbis in populum suum, si quando grauius deliquisset, hæc coniunctim supplicia decreuerit: *Persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia; & dabo eos in vexationem vniuersis regnis terræ, &c eo quod non audierint verba mea, dicit Dominus.*

Ierem 29. v. 18. & 17. & cap. 14 v 12. & cap. 21. v. 9. & cap. 24. v. 10. &c.

Inuenias, qui pacem vsque adeo exoptent, vt iustitiam omnem, religionemq; ei posthabendam censeant; quique calamitatum eiusmodi tempore impatientes diuinæ visitationis, DEO, hominibusque maledicant: quod si causam inquiras, reperies, pacem ab eis non alio fine tantopere exoptari, quã vt ventri, & illicitis voluptatib⁹ liberius indulgeãt: bellum vero eos non aliam ob causam exhorrescere, nisi quia vel inuitos à consueta vitæ licentia arcet, atq; ad aliquam modestiam, & moderationem, voluptatumq; abstinentiam cogit; quos ita meritò S. Augustinus reprehendit: *Cur enim afflicti rebus aduersis, de temporibus querimini Christianis? nisi quia vestram luxuriam cupitis habere securam, & perditissimis moribus, remota omni molestiarum asperitate, diffluere? Neq; enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, vt his bonis honeste vtamini, hoc est, modeste, sobrie, temperanter, pie; sed vt infinita varietas voluptatum, insanis effusionibus exquiratur; secundisq; rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sæuientibus peiora sint hostibus.* Hi similes sunt ægris, qui cupiunt morbi curationem,

S. August. 1. conf. c. 30.

Digitized by Google

tionem, & negligũt remedium; optant bonam valetudinem, vt nouo intemperatioris vitæ vsu morbos concilient: ita isti pacem exoptant, & pacis media non quærunt; sed potius suis prauis studijs bella iusto DEI iudicio accersunt.

Studeamus igitur prius bonis moribus, pœnitentia seria corrigamus & emendemus peccata nostra; vitam ad diuina mandata conformemus: inuigilent magistratus ad prauos subditorum mores corrigendos. Heri & Patresfamilias filios & famulos vtriusq. sexus, exterminatis blasphemijs, maledictis, periurijs, ac turpis lasciuiæ ludis, iocis, latebris, conuenticulis, & contubernijs; ad Christianæ pietatis ac modestiæ normam instituant & assuefaciant; disciplinam domesticam, quę hactenus apud plurimos planè prostrata iacuit, ad legem & præcepta diuina exigant. Reuocetur timor & religio DEI, iustitia colatur, modestia resplendeat, & tunc veram etiam in terris pacem à DEO exspectemus. Stat enim hoc firmum DEI propositum: vt primum *DEO* deferatur *gloria*; deindè *pax hominibus bonæ voluntatis*; & bene etiam Achior diuinæ prouidentiæ consilium prodit; *vt quotiescunq; DEI populus pœnituerit, se recessisse à cultura DEI sui, det eis DEVS cœli virtutem resistendi.* Judith. 5. v. 19. Deniq; Deus ipse per Prophetam: *Lauamini*, inquit, *mundi estote; auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruerse, discite bene facere: quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra vt coccinũ, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana* Isai. 1. v. 16.

Digitized by Google

alba erant. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quodsi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est.

Absint pseudopolitici illi, qui pacem in peccandi licentia & impunitate constituunt, in quos suis his coloribus depictos ita inuehitur S. Augustinus: *Tantum stet*, inquiunt, *Respublica, tantũ floreat cõpijs referta, victorijs gloriosa, vel quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? Imo ad nos magis pertinet, si diuitias quisq; semper augeat; quæ quotidianis effusionibus suppetant; per quas sibi etiam infirmiores subdat quisq; potentior. Obsequantur diuitibus pauperes, causa saturitatis; atq; vt eorũ patrocinijs quieta inertia perfruantur, diuites pauperibus ad clientelas, & ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant non consultoribus vtilitatum suarum, sed largitoribus voluptatum. Non iubeantur dura, non prohibeantur impura; Reges non curent, quam bonis, sed quam subditis regnent: prouinciæ Regibus non tanquam rectoribus morum, sed tanquam rerum dominatoribus, & delitiarum suarum prouisoribus seruiant; eosq; non synceriter honorent, sed nequiter ac seruiliter timeant. Quid alienæ vitæ potius, quam quid suæ vitæ quisq; noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudices, nisi qui alienæ rei, domui, saluti, vel cuiquam inuito fuerit importunus, aut noxius. Ceterum de suis, vel cum suis, vel cum quibuscunq; volentibus faciat quisq; quod libet. Abundent publica scorta, vel propter omnes, quibus frui placuerit, vel propter eos maxime, qui habere priuata non possunt. Exstruantur amplissimæ atq; ornatissimæ domus, vbi opipara conuiuia frequententur, vbi cuiq; libuerit & potuerit, diu noctuq; ludatur, bibatur, vomatur, diffluatur: saltationes vndiq; concrepent,*

S. Augustin. 2. ciuit. cap. 20.

theatra

Digitized by Google

theatra inhonestæ lætitiæ vocibus; atq; omni genere siue crudelissimæ, siue turpissimæ voluptatis exæstuent. Et ille sit publicus inimicus, cui hæc felicitas displicet. Quisquis eam mutare, vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à sedibus, auferat à viuentibus, &c.

Videas hic plane graphice à S. Augustino depictam pseudopoliticorum hac ætate mentem & consilia; quibus cordi non est vlla vitæ innocentiæ, diuiniq; honoris defensio; sed sola præsentis vitæ voluptas, & inter voluptates quies & tranquillitas. Hanc illi pacem vocant, huic omnia posthabenda censent, honestatem, Religionē, animam, Deum.

Sed quis hanc Rempublicam sanus, inquit ibidem S. Augustinus, *non dicam Romano* (& Christiano) *Imperio, sed domui Sardanapali comparauerit? qui quondam Rex ita fuit voluptatibus deditus, vt in sepulchro suo scribi fecerit, ea sola se habere mortuum, quæ libido eius, etiam cum viueret, hauriendo consumpserat.* *S. August. loc. cit.*

Neq; tamē infideles, quando permittēte Deo, iniquum bellum inferunt, ad castigationem populi fidelis, immunes esse solēt à punitione diuina, etiam in hac vita inferenda; non solum quia cum bella ipsi inferunt, bellorumuē causas præbent; his ipsi bellis pariter, DEO iustam causam tuente, atteruntur: sed quia sæpe DEVS etiam seorsim eos ad vindictam & internecionem deposcit: vt videre est apud Ezechielem in Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Palæstinis, Assyrijs, Tyro, Sydone, Ægypto: quæ gentes cum partim antea bellis varie afflixissent Israelitas; partim ob extremam eorū captiuitatem & oppressionē per Babylonios factam, *Ezech. cap. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32.*

Digitized by Google

acerbe eis insultassent, grauissime tamen postea ipsæ etiam à DEO punitæ, ac propemodũ ad internecionem vsq; deletæ sunt. Sed & Nabuchodonosor Rex Babylonis, qui antea seruus quodammodo & minister diuinæ Iustitiæ aduersus Iudæam, Tyrum, aliosq; populos adhibebatur; tandem tamen ipse etiã (in seipso, an in aliquo ex posteris ipsius?) ob arrogãtiam & elationem animi à DEO ita mulctatus fuit, vt ab hominibus eiectus, miserabili exilio, & communi cum bestijs victu conuictuq; damnaretur, *donec agnosceret quod dominaretur Excelsus super regnum hominum, & cuicunq; voluerit, det illud.* Dan. 4. v. 22.

Deniq; hæc est consueta diuinæ prouidentiæ regula, & velut transumpta à paterna Oeconomia, gubernationis formula, vt cum filios ipse suos satis castigauerit, virgam deniq;, seu castigationis instrumentum, conterat igni cremandam. Ita Israeli olim etiam per Nahum Prophetam promisit Deus: Nahum. 1. v. 13. *Conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.* Hoc est: Cum te populum meum ob perpetrata scelera, pro meritis, & Iustitiæ meæ ac voluntatis placito, illatis bellis & pœnis satis castigauero, tunc eam ipsam Virgam ac instrumẽtum punitionis conteram; te in libertatem restituto. Et in eundem sensum Zacharias Propheta, de gentibus, quibus quasi cornibus olim, Deo permittente, Iudaicus populus ventilabatur, ait: *Hæc sunt Cornua, quæ ventilauerunt Judam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum: & venerunt isti* (Angeli) *deterrere ea, vt deijciant cornua* (seu robur illarum) *gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Juda, vt dispergerent eam.* Zachar. 1. v. 21.

Et

Et rursum: *Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei: quia ecce ego leuo manū meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi; & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Zachar.2.v.9.

CAPVT VIII.

Bella bonis non nocere: & quodnam belli tempore sit Christiani hominis, atque etiam militis officium.



Mnipotens DEVS, qui *cùm summe bonus sit*, inquit S. Augustinus, *nullo modo sineret mali aliquid esse in suis operibus, nisi vsq; adeo esset omnipotens & bonus, vt bene faceret etiam de malo*; non ob eam solam caussam bellorum calamitates permittit, vt peccata impiorum hoc quasi flagello puniat; sed etiam vt ex eo bona maiora hominibus procuret; malis quidem pœnitentiam & vitæ emendationē; bonis autem vel purgationem delictorum, vel meritorum ac præmij cumulum. S. Augustin. in Enchirid. c.11.

De priori fructu loquitur Deus apud Prophetā Baruch: *Populus est dura ceruice, & conuertetur ad cor suum in terra captiuitatis suæ: & scient, quia ego sum Dominus Deus eorum: & dabo eis cor, & intelligent; aures & audient: & laudabunt me in terra captiuitatis suæ, & memores erunt nominis mei. Et auertent se à dorso suo duro, & à malignitatibus suis.* Ita equidem sæpe dura peccatorum corda, quæ nullis monitis, nullis precibus ad obsequium Dei flecti, vel ad pœnitētiam mitescere Baruch.2.v.30.

Digitized by Google

solent, calamitatibus fracta emolliuntur; iuxta illud prophetæ pronunciatum: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt.*

Psal 15. v. 4.

Pie & vere hac de re S. Ephrem: *Siue bellum,* inquit, *siue fames, siue pestilentia, siue aliquid aliud triste & acerbum ingruat; cuncta hæc ad emendationem correptionemq; nostram; tum vt mens hominũ ad pietatẽ impellatur, mortalibus inferri credendum est. Indigent namq; singulæ ætates disciplina visitationis Domini. Nam si timoris etiam tempore, nonnulli ad pietatem sunt insensibiles, quomodo nõ magis, si nulla Domini visitatio fiat, penitus etiam ad impietatem perditionemq; suam ipsi mentem conuertent?*

S. Ephrem. sermon. Ne decipiamur gentilium erroribus.

Ad bonos vero quod attinet, eleganter S. Augustinus, & erudite differit, atq; ostendit, bonis bella non obesse, sed potius prodesse; tum ad purgationem quamuis leuium delictorum, tum ad præmij incrementum. *Serui autem Dei,* inquit, *humiles & sancti, qui dupliciter mala temporalia patiuntur; quia & ab ipsis impijs, & cum ipsis patiuntur, habent consolationes suas, & spem futuri seculi. Vnde dicit Apostolus. Non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

S. August. Epist. 22.

Adfert deinde exempla trium puerorum; speciatim Azariæ, atq; etiam Danielis, itemq; Machabæorum; qui inter tormenta, sua pariter & populi peccata, ad expiationem, confitebãtur. *Quantamlibet enim iustitiam seruemus,* inquit, *quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, nunquid meliores esse possumus illis tribus viris, qui in caminum ignis ardentis pro conseruanda lege Dei proiecti sunt? Et tamen lege, quid illic dicat Azarias vnus ex tribus, qui aperiens os suum in medio ignis dixit:*

dixit: Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorũ: & laudabile & gloriosum nomẽ tuum in secula: quoniam iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & omnia opera tua vera, & rectæ viæ tuæ, & omnia iudicia tua veritas, & iudicia veritatis fecisti, per omnia, quæ intulisti nobis, & ciuitati sanctæ patrum nostrorum Hierusalem: quoniam in veritate & iudicio intulisti nobis omnia hæc propter peccata nostra; quoniam peccauimus, & legi tuæ non paruimus, & mandatis tuis non obaudiuimus, &c.

Quid igitur, inquit alibi idẽ S. Augustinus, *in illa rerũ vastitate* (bellica) *Christiani* (etiã boni) *passi sunt, quod eis non magis, fideliter ista considerantibus, ad profectũ valeret? Primò quòd ipsa peccata, quibus Deus indignatus, impleuit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamuis longe absint à facinorosis, flagitiosis, atq; impijs; tamen non vsq; adeo se à delictis deputant alienos, vt nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent indignos. Excepto enim, quod vnusquisq; quamlibet laudabiliter viuens, cedit in quibusdam carnali concupiscentiæ, etsi nõ ad facinorum immanitatem, & gurgitem flagitiorum, atq; impietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata vel rara, vel tanto crebriora, quantò minora.* Atq; hoc primum delictorũ genus est, ad quæ expianda S. Augustino Iudice, non iniuria boni à Deo pœnis temporalibus, etiam bellorum, in hac vita quandoq; castigantur. S. August. lib. 1. ciuit. cap. 9.

Hinc mox adiungit alterum, ex contubernio & conuictu impiorũ non planè innocuo: *Hoc ergo*, inquit, *excepto, quis tandem facile reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam, luxuriam, & auaritiam, atq; execrabiles iniquitates & impietates, Deus, sicut iureiurando prædixit, conterit terras, sic habeat, vt habendi*

bendi sunt; sic cum eis viuat, vt cum talibus viuendum est? Plerumq; enim ab eis docendis, admonendis, aliquando etiam obiurgandis, & corripiendis male dissimulatur; vel cum laboris piget; vel cum os eorum verecundamur offendere; vel cum eorum inimicitias deuitamus; ne impediant & noceant in istis temporalibus rebus; siue quas adipisci adhuc appetit nostra cupiditas; siue quas amittere formidat infirmitas: ita vt quamuis bonis vita malorum displiceat, & ideo cum eis non incidant in illam damnationem, quæ post hanc vitam talibus præparatur; tamen quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis leuibus & venialibus metuunt, iure cum eis temporaliter flagellantur, quamuis in æternum minime puniantur, &c. Non mihi itaq; videtur hæc parua esse causa, quare cum malis flagellentur & boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium pœnarum afflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam vitam, sed quia simul amant temporalem vitam; non quidem æqualiter, sed tamen simul; quam boni contemnere deberent, vt ab illis correpti atq; correcti consequerentur æternam. In quo genere quanto maiori se culpa obstringant populorũ Præpositi & animarũ curatores, ipse ibidẽ fusius persequitur.

S. August. lib. 1 Ciuit. cap. 11.

Sed multi etiam boni, dicet aliquis, in bello interficiuntur; *multi multarum mortium fœda varietate consumuntur.* Respondet S. Augustinus: *Hoc, si ægre ferendum est, omnibus, qui in hanc vitam procreati sunt, vtiq; commune est. Hoc tamen scio, neminem fuisse mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem vitæ, tam longam, quam breuem vitam hoc idem facit. Neq; enim aliud melius, & aliud deterius, aut aliud maius, & aliud breuius est; quod iam pariter non est. Quid autem interest,*

quo

Digitized by Google

quo mortis genere vita ista finiatur, quando ille cui finitur, iterum mori non cogitur, &c. Mala mors putanda non est, quam bona vita praecesserit. Neq; enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaq; multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat vt moriantur; sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani nouerint, longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas, quam impij diuitis in purpura & bysso, horrenda illa genera mortium, quid mortuis obfuerunt, (vel obesse possunt) *qui bene vixerunt?*

Neq; vero, quòd boni maliq; pariter affliguntur, ideo inter se ipsi distincti non sunt; quia distinctum non est, quod vtriq; perpetiuntur: *Manet enim*, inquit alibi S. Augustinus, *dissimilitudo passorũ* (seu patientium) *etiam in similitudine passionum; & licet sub eodem tormento, non est idem virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulae comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem praeli pondere exprimitur; ita vna eademq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur, atq; blasphemant, boni autem precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisq; patiatur. Nam pari motu exagitatum, & exhalat horribiliter coenum, & suauiter fragrat vnguentum.* S. Aug. 1. Ciuit. cap. 8.

Habet itaq;, inquit postremo S. Augustinus, *omnis familia summi & veri DEI consolationem suam, non fallacem, nec in spe rerum nutantium, vel labantium constitutã; vitamq; etiam ipsam temporalem minimè poenitendam, in qua eruditur ad aeternam; bonisq; terrenis tanquam pere-* S. Aug. 1. Ciuit. cap. 29.

Digitized by Google

grina vtitur, nec capitur: malis autem aut probatur, aut emendatur. Illis vero, qui probitati eius insultant, eiq; dicunt, cum forte in aliqua temporalia mala deuenerit, Vbi est DEVS tuus? &c. ista respondeat: DEVS meus vbiq; præsens est, vbiq; totus, nusquam inclusus: qui possit adesse secretus, abesse non motus. Ille cum me aduersis rebus exagitat, aut merita examinat, aut peccata castigat, mercedemq; mihi æternam pro toleratis pie malis temporalibus seruat.

Sed quia boni viri officium est, non solum mala patienter ferre; sed etiam bene agere, ac communi malo pro viribus remedium adferre; quæret aliquis, quid faciendum hoc tempore belli, vt præsentes calamitates, DEO miserante, aut æqua & sancta consociatione animorum; aut si hostis in armis iniquæ causæ fiduciam collocet, iustâ Catholicæ religionis & eorum qui æquitatẽ tuentur victoria finiantur. Optima & salubris quæstio; cui paucis ita respondeo, vt simul etiam Christianus miles edoceatur, quomodo si forte Turcarum aliorumúe pacis & Religionis hostium iniquitas & violentia cogat, *bella Domini*, hoc est, in causa Domini, ex voluntate Domini, ad honorem Domini, non quidẽ iuxta normam artis bellicæ, cuius professionem olim in Philosopho reprehensam scio; sed ex præscripto legis diuinæ, ac iuxta præcepta & documenta ipsius scripturæ sacræ, pie feliciterque gerat.

Et primò quidem vitia & peccata, præsertim publica & scandalosa, vera pœnitentia in omni hominum genere emendanda: de qua re satis capite præcedenti dictum. Breuiter & neruose S. Hieronymus:

Digitized by Google

nymus: *Olim*, inquit, *offensum sensimus, nec placamus Deum. Nostris peccatis barbari fortes sunt; nostris vitijs Romanus superatur exercitus: & quasi non hæc sufficerent cladibus, pluspene bella ciuilia, quam hostilis mucro consumpsit. Miseri Israelitæ, ad quorum comparationem, Nabuchodonosor seruus Dei dicitur. Infælices nos, qui tantum displicemus Deo, vt per rabiem barbarorum, illius in nos ira deseuiat. Ezechias agit pœnitentiam; & centum octoginta quinque millia Assyriorum ab vno Angelo vna nocte deleta sunt. Josaphat laudes Domini concinebat, & Dominus pro laudante superabat. Moyses contra Amalech non gladio, sed oratione pugnauit. Si erigi volumus, posternamur.* Ita S. Hieronymus. Hieron. epist. 3. cap. 10. 2. Paralip. 17. Exod. 17.

Secundò bona & legitima pacis conciliandæ seu obtinendæ intentio concipiatur; non studio & amore temporalium commoditatũ, & voluptuosæ vitæ licentiæ; non cum iactura honoris diuini, veræq; Religionis; quod itidem capite præcedenti reprehẽdimus; sed studio & affectu gloriæ diuinæ, ac syncerae pietatis tuendæ propagandæq;, vt nimirum hic exclusis belli scandalis, & noxijs perturbationibus, modestam, quietam, & tranquillam vitam in sanctitate & iustitia agamus, Deumq; in vera fide constanter & ex animo colamus. *Et quid facies magno nomini tuo?* inquiebat sanctus & fortis Israelitarum Dux Iosue, cum populum Israeliticum fusum ab hostibus cerneret: Quasi diceret: Non doleo probrum populi fugientis; non cladem occisi; non damnum amissæ ciuitatis; sed probrum magni nominis tui, & contumeliam, quæ ex profligato populo in te supremum eius Ducem & pro- Iosue 7.

pugnatorem redundat. Et in eundem sensum Propheta Ieremias: *Si iniquitates nostræ responderint nobis Domine, fac propter nomen tuum; quoniam multæ sunt auersiones nostra, tibi peccauimus.* Ita etiam monet Apostolus, vt *fiant orationes pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & trãquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate: hoc enim bonum est, & acceptũ coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri.*

Ierem.14. v.7.

1. Tim.2. v.2.

Tertio eodem animi affectu, ardentibus & crebris precibus à DEO pax & victoria postulentur. Ad bellum Christianum feliciter gerendum Iosue requiritur & Moyses: ille quidem potissimum, vt fortiter pugnet; iste, vt pie DEVM oret. Pugnantibus Israelitis contra Amalecitas, pugnauit Iosue, orauit Moyses: nec minus oratio huius ad belli felicitatem contulit, quam illius robur & fortitudo. *Fecit Iosue*, inquit scriptura, *vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalech: Moyses autem, & Aaron, & Hur, ascenderunt super verticem collis: cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autẽ Moysi erant graues; sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum* (Moysen) *in quo sedit. Aaron autẽ & Hur sustentabant manus eius, ex vtraq; parte. Et factum est, vt manus illius nõ lassarentur, vsq; ad occasum solis. Fugauitq; Iosue Amalech, & populũ eius in ore gladij.* Moyses (præter extraordinariam summi sacerdotij auctoritatẽ) principem repræsentauit in populo Israel: qui idcirco etiã belli pacisq; mandata dedit: Huic in primis præter supremam administrationis curam, & debitam vigilantiam, incumbit orandi studi-

Exod.17. v.10.

ſtudium: ſed quia ſolus ipſe non ſufficit, aduocandus in ſubſidium Aaron & Hur, ſtatus nimirum & Eccleſiaſticus, & politicus; vt paribus & coniunctis votis DEVM ad miſericordiam flectant.

Ita vociferante populo, & clangentibus tubis, ſicut præceperat Ioſue, *muri Jericho corruerunt, & capta eſt ciuitas.* Orante Ezechia contra blaſphemum Rabſacem Aſſyriorum ducem, eiuſq; exercitum, *venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorũ centum octoginta quinq; millia.* Iudith ſanctæ & heroicę fæminæ Holofernem decollaturæ poſtulatũ erga contribules & conciues ſuos Iudæos, aliud nõ erat, quam hoc: *Nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum.* Heliodori ſacrilegi graſſatoris expilationem aliud non auertit & compreſſit, quam totius populi, omniumq; ordinum publica & ardens ad Deum ſupplicatio, non ſinę magnis pœnitentiæ argumentis; cum *accinctæ* ipſæ etiam *mulieres cilicijs pectus, ac protenſis in cœlum manibus Deum deprecarentur.* Huc proinde ſpectant ieiunia, cilicia, alięq; corporis afflictationes, quarum olim in communib⁹ populi neceſſitatibus frequens vſus; eæq; fere hoc tẽpore orationis comites eſſe ſolebant, vt in Iſraelitis à Beniamitis cęſis, in Saule, Ezechia, Iudith, Eſther, Niniuitis videre eſt.

Ioſue 6.
4. Reg. 19.
Iudith. 8. v. 33.
Iudic. 20. v. 26.
1. Reg. verſ. 6.
4. Reg. 19. v. 1.
Iudith 8.
Eſther 4. v. 16.
Ion. 3. v. 5. 7.

Sed & ante prælium, & in ipſo prælio etiam, Dei auxiliũ inuocare, pijs & fidelib⁹ Ducibus olim conſuetum fuit. Vtrunq; egregie cum ſuis præſtitit Iudas Machabæus, qui ſuos ante congreſſum cohortatus. *Et nunc,* inquit, *clamemus in cœlum, & miſerebitur noſtri Dominus, & memor erit teſtamenti Patrum*

1. Mach. 4. v. 10.

nostrorum, & conteret exercitum istum ante faciem nostram hodie, & scient omnes gentes, quia est, qui redimat & liberet Israel. Et rursum cõtra Nicanorem pugnaturus,

2. Mach. 15. v. 21. 26.

considerans Machabæus aduentum multitudinis, & apparatum varium armorũ, & ferocitatem bestiarum, extendens manum in cœlum, prodigia facientem Dominum inuocauit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Et infra: *Nicanor autẽ, & qui cum ipso erant, cum tubis & canticis admouebant. Judas vero, & qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes, congressi sunt; manu quidem pugnantes; sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minus triginta quinq; millia, præsentia Dei magnifice delectati.* Et dignum obseruatione est, quod à nonnullis notatum, Iudam Machabæum nunquam non victoriam reportasse, quotiescunq; pugnaturus orauit, ac diuinum auxiliũ inuocauit: in duobus autem prælijs contra Antiochum Eupatorem, & contra Bacchidem & Alcimum, dum orasse non legitur, victus fuisse legitur.

1. Mach. 6. & 9.

Sed & ex Christianis Imperatoribus, summisq; belli Ducibus, summopere à S. Augustino commẽdatur Theodosius, de quo ita ille inter alia: *Theodosius Tyranni Maximi extinctor, & c. alium Tyrannum Eugenium, qui in illius Imperatoris locum non legitimè fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso, fide certus oppressit; contra cuius robustissimum exercitum magis orando, quam feriendo pugnauit:* Deo nimirũ interim è cœlo pro eo depugnante, vt ibidem fusius refert S. Augustinus.

August. lib. 5. de Ciuit. c. 26.

Formam autem orationis optimam exhibet Daniel cum socijs, dum Babylonici tyranni dura

serui-

seruitute premerētur, è quib⁹ Azarias: *Benedictus es*, inquit, *Domine Deus patrum nostrum, & laudabile & gloriosum nomen tuum in secula: quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Judicia enim vera fecisti, iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Jerusalem: quia in veritate & iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra; peccauimus enim, & iniquè egimus, recedētes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus, sicut præceperas nobis, vt bene nobis esset. Omnia ergo quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti; & tradidisti nos in manibus inimicorũ nostrorum iniquorum, & pessimorum præuaricatorum, & Regi iniusto, & pessimo vltra omnē terram. Et nunc non possumus aperire os: Confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neq; auferas misericordiam tuam à nobis, &c. sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorũ pinguium; sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos; sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundũ multitudinem misericordiæ tuæ: & erue nos in mirabilibus tuis; & da gloriam nomini tuo Domine; & confundatur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala: confundantur in omni potentia tua, & robur eorum conteratur, & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum.*

Dan. 3. v. 26.

De

De qua oratione ita S. Augustinus. *Quantamlibet Iustitiam seruemus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus, nunquid meliores esse possumus illis tribus viris, qui in caminũ ignis ardentis pro conseruãda Dei lege proiecti sunt, &c. Vides certe frater, quales viri, quam sancti, quam fortes in medio tribulationis: vbi tamen eis parcebatur, & eos vrere ipsa flamma verebatur, peccata sua confitebantur, pro quibus se digne & iuste humiliari nouerant, nec tacebãt. Nunquid etiam meliores esse possumus ipso Daniele, de quo per Ezechielem Prophetam dicit Deus ad Principem Tyri: Nunquid tu sapientior, quam Daniel? Et qui ponitur vnus in tribus istis, quos dicit Deus solos se esse liberaturum, ostendens vtiq; in illis tres quasdam formas iustorum, quos ita se liberaturum dicit, vt nec filios suos secum liberent, sed ipsi soli liberentur, Noe, Daniel, & Iob? Lege tamen etiam precem Danielis, & vide, quemadmodum in captiuitate positus, peccata non tantum populi sui, verum etiam sua confiteatur, & pro his dicat: Per iustitiam Dei se ad illam captiuitatis pœnam & opprobria peruenisse.* Certe quia *oratio humiliantis se nubes penetrat, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altissimus aspiciat*: fieri non potest, vt Deus orationem totius populi sui, cum vera contritione, se humiliantis, eiusq; misericordiam inuocantis non aspiciat.

S. August. epist. 122.

Ezech. 28.

Ezech. 14.

Eccli. 35.

Quartum est, spes in Deo, & de proprijs viribus diffidentia. Præclarum huius rei documentum præstat Ezechias Rex Iuda; quem cum scriptura eximiè laudasset, *fecisse, quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quæ fecit Dauid pater eius; dissipasse excelsa, contriuisse statuas, succidisse lucos, confregisse serpentem æneum*, cui peruersa superstitione Iudæi adolebant incen-

4. Reg. 18. v. 3. & seqq.

incensum; addit ad complemẽtum laudis hæc verba: *In Domino Deo Israel sperauit, itaq; post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Juda; sed neq; in his qui ante eum fuerunt; & adhæsit Domino, & non recessit à vestigijs eius; fecitq; mandata eius, quæ præceperat Dominus Moysi.* Nimirum à spe laudatur, quæ bonis religiosæ vitæ fructibus sociatur; non à præsumptione, qua sibi nec male quidem agenti, Dei timeret vindictam.

Quis autem religiosæ huius spei fructus, quæ vtilitas fuerit, mox scriptura subiectis verbis ostendit: *Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat: Rebellauit* (seu bellum intulit) *quoq; contra Regem Assyriorum, & non seruiuit ei. Ipse percussit Philistæos vsq; ad Gazam, & omnes terminos eorum, à turre custodum, vsq; ad ciuitatem munitam.* Eadem spe subnixus orauit Dominum, & in eius rei gratiam, propugnatore Angelo cælitus misso, debellauit ingentem Assyriorum exercitum, vt antea dictum.

Dauid quoq; contra Goliath pugnaturus, hoc diuinæ spei scutum vnicè præ se tulit. *Tu venis,* inquit, *ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminũ Israel, quibus exprobrasti hodie; & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuũ à te; & dabo cadauera castrorũ Philistijm hodie volatilibus cœli, & bestijs terræ, vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel: & nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio, nec in hasta saluat Dominus: ipsius enim est bellum, & tradet vos in manus nostras.* 1. Reg. 17. v. 45.

Verba doctrinæ plenissima: spem in Deo collocat Dauid, non in armis: magna & grandia minatur hosti; sed præmittit; *dabit te Dominus in manu*

mea: victoriam sibi pollicetur; sed Dei gloriam, non suam affectat: *vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israël.* Bellum seu duellum viriliter aggreditur; sed in manu Dei bellum stare profitetur. Salutis nuntium toti populo denunciat; sed in Deo Saluatore. Ita etiam Iosue maxima bella felicissime gesIosue 10. v. 42. sit; sed Scriptura Deo tribuit victoriam: *Dominus enim Israel,* inquit, *pugnauit pro eo.*

E contrario verò confidentia & præsumptio de proprijs ac humanis viribus in bello, à fideli populo, pro Dei honore gerendo, admodũ inuisa est Psal. 146. v. 10. Deo. *Quia non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.* Israëlitæ contra voluntatem, contraq; mandatum Dei, deserta arca Dei, Moysisq; ductu, suo nutu castra mouentes, suisq; viribus præfidentes, Amalecitas & Chananæos hostes inuaserant: Num. 14. v. 40. *sed Amalecites & Chananæus, qui habitabat in monte, descendit, & percutiens eos, atq; concidens, persecutus est eos vsq; Horma.*

Iudic. 20. v. 18. Gens vniuersa Israëlitarum, bello aduersus Beniamitas, ad nefarium flagitium vindicandum, ipsius etiam Dei nutu suscepto, cùm dimicarent, bis grauissima cæde ab hostibus Beniamitis in prælio, magna cum suorum strage, fusi & fugati sunt; primo prælio amissis *viginti duobus millibus virorum*; Ibid. v. 22. altero rursum cæsis *decem & octo millibus armatorum*: nec alia huius rei causa in Scriptura redditur, nisi quod *filij Israël & fortitudine & numero confidentes*, certamẽ susceperint: donec tandem suo malo sapere docti,

Digitized by Google

docti, & ad Deum conuersi, eiusq; ope implorata, responsum ab eo acceperũt: *Ascendite, cras enim tradam eos in manus vestras*; vt intelligerent scilicet, non prius à se, quantumuis viribus, & numero militum præpollerẽt, debellari hostes posse, quam à Deo in manus cædendi traderẽtur. Obseruant viri docti Machabæis, cũ antea diuina virtute confisi felicissimè pugnassent, rem infeliciter cessisse, postquã fiducia ad homines Ethnicos translata, fædus cũ Romanis, auxilij ab eis consequẽdi causa, exambierũt. Ibid. v. 28. vid. 1. Machab. 8. 9. 12. 14.

Christianus igitur Dux & miles, non humana & politica, sed Christiana & diuina fortitudine fretus, cum Propheta exclamabit: *Non saluatur Rex per multam virtutem; & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem; in abundantia autẽ virtutis suæ nõ saluabitur. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius.* Igitur *hi in curribus, & hi in equis*, (vel etiam *Achilleis clypeis* & armis, à Vulcano quopiam in orco, nescio quo, Satanæ spiritu *afflatis & excantatis*:) *nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus*, inuocantesque pugnabimus. *Equus enim quidem paratur ad diem belli, Dominus autem salutem tribuit.* Qui etiam, vt alibi scriptura loquitur, *non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam.* Psal. 32. v. 16. Psal. 19. v. 8. Prouerb. 21. v. 31. 2. Machab. 15. v. 21.

Quintum est Zelus veræ & Catholicę Religionis, & Iustitiæ, excitandus etiã in gregario milite; sed necessarius in Ducibus, & supremis belli Principibus: ne ambitione, vanaq; gloria ducti, aut auaritia seducti, peruersos sibi bellandi fines constituant; quibus horribiles sæpè clades in vniuersum exercitum ac Rempub. Christianam inuehuntur:

Digitized by Google

dum, quia aut bello pecuniam, & opes, non victoriam & pacem quærunt, bellum fouere potius, quàm finire satagunt: aut quia æmulatione mutuâ, communem belli causam, iunctis studijs, non promouent; sæpè etiã alter in alterius odium perdit. Cum Machabæi in terra Galaad & Galilæa rem strenuè agerent, erant Duces quidam in Iudæa à Iuda Machabæo quasi pro pręsidio relicti, hac tamen conditione, ne absente Iuda aduersus hostem prælium committerent. Hi verò auditis Machabæorum faustis prælijs, æmulatione intempestiua, & vanæ gloriæ aucupandę studio ducti, consilio inter se habito dicebant, *Faciamus & ipsi nobis nomen, & eamus pugnare aduersus gentes, quæ in circuitu nostro sunt.* Sed cæso & fugato exercitu, Duces illi pro gloria ignominiam reportârunt: *quia non audierunt*, inquit scriptura, *Judam, & fratres eius; existimantes fortiter se facturos. Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.*

1. Machab. 5. v. 18. 57.

Quid dicam de execrabili, vtinam nunquam audito scelere eorum, qui per auaritiam communes belli sumptus, ex pauperum sudore ac sanguine extractos, interuertunt, ac in proprios vsus vertunt: quò fit, vt aut milites ad bellum necessarij nõ conducantur; aut conductis stipendia debita non soluantur: Quid de illis belli Ducibus dicam, qui simili auaritia, præscriptum numerũ militum non complent; aut dimissis exercitatis, priuati commodi causâ, imperitos precio minori substituunt; qui prorsus tenentur, & ad compensanda ea bona, quæ per eam fraudem impediuntur; & ad damna,

quæ

Digitized by Google

quæ consequũtur, resarcienda: vt, quòd belli sumptus & conatus in irritum cadunt; quòd victoria non reportatur; quòd Principis & Reipub. honos læditur; quòd integri exercitus funduntur; quòd rapinis militum omnia complentur; quod ab hostibus Ciuitates, castra, munitiones occupantur: quòd innocentes innumeri, fides ipsa & religio, deniq; omnia tam corporis, quam animæ bona sæpè pariter intereunt.

Non ita olim Duces Machabæi à Mathatia optimo parente instituti fuerunt, cũ diceret: *Nunc ergo, ô filij, æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testamento fratrum vestrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis; & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.* 1. Machab. 2. v. 50. De Iuda Machabæo, eiusq; exercitu legimus, *statuisse eos dimicare & confligere fortiter, vt virtus de negotijs iudicaret; eo quòd ciuitas sancta & templum periclitarentur. Erat enim pro vxoribus & filijs, itemq́; pro fratribus & cognatis minor sollicitudo: maximus verò & primus pro sanctitate timor erat templi.* 2. Machab. 15. v. 18. Cessat planè auaritiæ studium, cessat vanæ gloriæ cupiditas, vbi Zelus Religionis dominatur: & tamẽ etiam propria gloria, dum hac ratione non quæritur, vel maximè acquiritur: quia fugientes sequitur, & fugit sequentes.

Sextum est, intrepidus animus, etiam inter pericula, quæ nunquam absunt in bello. Aliquando robur hostium terret; aliàs multitudo obruit; aliquando astus decipit; nonnunquam casus & inopinatus euentus opprimit. In his omnibus casibus valet imperterrita animi fortitudo & mascu-

Digitized by Google

lum robur; non ab humanis viribus, sed à Diuino præsidio accitum. Exploratores olim terræ promissionis, cùm officio defuncti, conditionem & statum populi ac terræ illius populo repræsentarent, pręsenti illo intuitu hostium, eorumq; conspecto robore, adeo conterriti fuerũt, vt totum populum à proposito eius terræ capiendæ auersum, ad seditionẽ etiam, & rebellionẽ aduersus Deum,
Num. 13. v. 32. & Moysen, concitárent: *Nequaquam*, inquiunt, *ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est, &c. Ibi vidimus monstra quædam filiorũ Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Sed in contrarium stabant, ad imperium Dei parati, viri magnanimi, Iosue & Caleb, explorationis quidem socij, sed maioris animi heroes, qui ita populo suadebant:
Num. 14. v. 9. *Nolite rebelles esse contra Dominum, neq; timeatis populum terræ huius; quia sicut panem ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium. Dominus nobiscum est, nolite metuere.*

Cum Sennacherib Assyriorum Rex ingenti exercitu terram Iuda ingressus, etiam Hierosolymis obsidionem vastitatemq; barbaro fastu minitaretur, Rex Ezechias hac populum pia oratione animauit:
2. Paralip. 32. v. 7. *Viriliter agite, & confortamini; nolite timere: nec paueatis Regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cũ eo; multo enim plures nobiscum sunt, quàm cũ illo. Cum illo enim est brachium carneum; nobiscũ Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis. Confortatus est populus huiuscemodi verbis Ezechiæ Regis Iuda.*

Etiam in subitis periculis adest sæpè occulta manus Dei auxiliatrix. Elisæum Prophetam existimabat

Digitized by Google

mabat olim Syriæ Rex esse suorum consiliorum proditorem, itaq; *ad eum conquirendum & occidendum* (vnum hominem inerme) *misit Rex equos, & currus, & robur exercitus; qui cum venissent nocte, circumdederunt ciuitatem. Consurgens autem diluculo minister* (Elisæi) *viri Dei, egressus vidit exercitum in circuitu ciuitatis, & equos, & currus, nunciauitq; ei dicens, Heu, heu Domine mi, quid faciemus? At ille respondit, noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Cumq; orasset Eliseus, ait, Domine aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: Et ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* Causa Elisæi, Dei causa est; quam Deus ipse, quam omnes sancti tuentur: non diffidendũ de victoria, vbi Deo propugnatore sanctisq; fauentibus pugnatur. Optimũ inter pericula verbũ est Ionathæ optimi Principis ac militis: *Quia non est Domino difficile, saluare vel in multis, vel in paucis.* Et in eundẽ sensum Iudas Machabæus: *Facile est*, inquit, *concludi multos in manus paucorum; & non est differentia in conspectu Dei cæli, liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cælo fortitudo est.* Amat Deus aliquando paucitate militum potius quam multitudine vincere; sic enim & victoria clarior est, & Dei triumphatoris gloria manifestior; ac minus periculi, ne ea hominis arrogantiâ Deo subducatur.

4. Reg. 6. v. 14.

1. Reg 14. v. 6.

1. Machab. 3. v. 18.

Nec timendum est militi Christiano, exigente necessitate, etiam mori pro iustitia, pro patria, pro Religione. Hæc militis professio est, vt vitam potius suam deserat, quam causam & officium. Iudæ Machabæo hic animus fuit, qui inter suorum trepidatio-

dationem & euidens periculũ, perurgentis hostis, *Absit*, inquit, *istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropiauit tempus nostrum, moriamur in virtute propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Atque vtinam, quod alias facere solebat, fusis prius ad Deum supplicibus precibus, plus in eo etiam fiduciæ collocasset. Nimirum quoties pugnaturus Deum orauit Iudas, vicit; tunc oràsse non legitur, nec magno animo in Dei præsidio fiduciam collocàsse; itaq; victus cecidit.

1. Machab. 9. v. 10.

Septimum est prouida cura & vigilantia Ducis. Non tentandus Deus præsumptione temeraria, sed adhibenda media etiam humana & necessaria ad victoriam parandam; vt miles in tempore paratus adsit; vt commeatus, arma, & pecuniæ non desint; vt officia militaria ritè distribuantur & administrentur; vt præsidia confirmentur & restaurẽtur; vt fines & aditus præoccupentur; vt subsidia hosti eripiantur. Laudatur ab hac etiam cura Ezechias Rex, qui præcipuè quidẽ auxilio Dei confisus bellum contra Assyrios suscepit, attamẽ nec præsidia humana prætermisit. *Cum enim vidisset Ezechias*, inquit Scriptura, *venisse Senacherib* (Assyriorum Regẽ) *& totum belli impetum verti contra Jerusalem: inito cum Principibus consilio virisq; fortissimis, vt obturarent capita fontium, qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente sententia, congregauit plurimam multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum, qui fluebat in medio terræ, dicentes, Ne veniant Reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. Ædificauit quoq; agens industriè omnem murum, qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper,*

2. Paralip. 32. v. 2.

Digitized by Google

per, & forinsecus alterum murum; instaurauitq; Mello in ciuitate Dauid, & fecit vniuersi generis armaturam, & clypeos, constituitq; principes bellatorum in exercitu, &c. Simplicitatis illaudatæ foret, eorum induere mentem & animum, qui Machabæorũ tempore, bono quidem zelo, *sed non secundum scientiam*, ducti, cum Sabbatho oppugnarentur, seipsos hosti impunè cædendos pręebant; nec lapide quidem aduersus eum iacto, nec locorum angustijs occlusis; cum dicerent: *Moriamur omnes in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cœlum & terra, quod iniustè perditis nos.* 1. Machab. 2. v. 37.

Postremum deniq; est disciplina militaris: cuius neglectus & politicè nocet; dum exercitus robur eneruatur; & nonnunquam ex amico & præsidiario milite, si furtis & latrocinijs assuescat, hostilis, aut hostili deterior efficitur: & Theologicè damnabilis est, Diuinamq; iram vehementer accendit. Documento sit Achan; qui priuato vnicoq; furto, contra Dei mandatum perpetrato, in totum exercitum grauissimam Dei vindictam accersiuit, vt superius dictum. Nec dissimile, quod in historia Machabæorum legitur. Cum pugnam Machabæi Iudæ milites cũ Gorgia eiusq; exercitu committerent, ceciderunt ex Iudæis non pauci. Nec alia postmodum eius infelicitatis causa deprehensa fuit, quam quod ijdem Iudæ milites mandatum Dei, vetantis, ne ex Idolis quicquam sibi vendicarent Iudæi, fuerant transgressi. Ita enim refert scriptura: *Inuenerunt autem sub tunicis interfectorum de donarijs idolorum, quæ apud Iamniam fuerunt, à quibus lex prohibet Iudæos, omnibus ergo manifestum factum est,* Deut. 7. v. 25. 1. Machab. 12. v. 40.

Digitized by Google

ob hanc causam eos corruisse. Omnes itaq; benedixerunt iustum iudicium Domini, qui occulta fecerat manifesta. Quod si in hostilium etiam spoliorum, sed quæ diuina lege Iudæis fuerant interdicta, vsurpatores; Deus tam grauiter animaduertendum censuit; an existimabimus parciturum ijs, qui amicos innocẽtesq; contra publicã communemq; Iustitiam spoliant alijsue modis temere lædunt?

Cõcil. Aquense lib. 2. cap. 1. Concilium Aquense siue Aquisgranense sub Pipino peculiariter admonet, ne bona Deo consecrata, siue Ecclesiastica quouis titulo inuadantur & diripiantur. *Vitandum tibi est*, inquit, *ne contingendo ea, quæ Domino consecrata sunt, sis præuaricationis reus, & alij propter te sub peccato sint, atq; turbentur: & sagaciter intende, qualiter thesauri Domini, eo iubente, incremententur. Sed & hoc diligenter obserua, ne tuo æstu vel cupiditate, ea quæ in thesauris Domini consecrata sunt, auferantur.* Et infra: *Veruntamen valdè pauenda sunt hæc, & omnibus fide Christi insignitis cauenda, ne propter aliorum illicitum, imò sacrilegum factum, nec secum (quod absit) Dominum habeant, nec coram inimicis suis stare præualeant. Patratores autem tam immanis, imò sacrilegi facti, magnopere cauere oportet, ne propter suam cupiditatem, quam erga res Deo sacratas aut exercent, aut exercere cupiunt, sibi ad instar Achan, mortem æternam, alijsq; Dei offensam, & coram hostibus suis acquirant miserabilem ruinam.*

1. Reg. 25. Disciplinæ militaris egregium documentum præbet Dauid, cum suo milite; quando contra Saulem olim in castris diuersatus, non minas spirauit ac diremptionem erga amicos: sed pacem erga vicinos & accolas coluit, animumq; ac manus innocuas

Digitized by Google

etias perpetuo seruauit. *Sit fratribus meis, & tibi pax,* inquit ad Nabelem in Carmelo, *& domui tuæ pax, & omnibus quæcunq; habes, sit pax, &c. Nunquam pastoribus tuis molesti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege, omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo. Interroga pueros tuos & indicabunt tibi.*

Vtinam verò hodie milites nostri, hac laude ex vero gloriari possent; ac nõ potius in quamplurimos conueniret illa Petri Blesensis, viri quondã pijssimi ac doctissimi, querela & iusta inuectiua: *Militaris,* inquit, *hodie disciplina, quam Vegetius Renatus, ac plerią; alij docuerunt, prorsus euanuit, & se in quandam delinquendi libertatem & scurrilitatis speciem deformauit. Olim se iuramenti vinculo milites obligabant, quod starent pro Reipub. statu, quod in acie non fugerent, & quod vitæ propriæ vtilitatem publicam præhaberent. Sed & hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, vt profiteantur se filios Ecclesiæ, atq; ad honorem sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepisse. Porrò res in contrarium versa est: nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, & desæuiunt in patrimonium crucifixi. Spoliant & prædantur subiectos Christi pauperes, & miserabiliter atq; immisericorditer affligunt miseros, vt in doloribus alienis illicitos appetitus, & extraordinarias impleant voluptates.* Et paulo superius: *Ordo militum nunc est,* inquit, *ordinem non tenere. Nam cuius os maiore verborum spurcitia polluitur, qui detestabilius iurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vilificat, qui Ecclesiam non veretur, iste hodie in cœtu militum fortior & nominatior reputatur.* Hactenus de militari disciplina Blesensis. Petr. Blesens. epist. 94.

Digitized by Google

piter fugiens euasit: qui etiam deniq; vnà cum Rege pacem à Iudæis petere coactus fuit.

His igitur in bello æquè contra Turcas, ac quoslibet fidei ac publicæ pacis hostes suscepto obseruatis, minimè dubiam victoriam sperare debemus. Primò, quia tale bellum iustissimum est; bello autem iusto fauet Deus. Secundò, quia bellum contra hostes Dei suscipitur; quisquis enim veræ Religionis, aut publicæ tranquillitatis hostis & oppugnator est, Dei hostis est; quem Deus non patietur inultum. Tertiò, quia hoc modo non propria & priuata, sed communis Dei causa agitur; cuius honos & vera Religio defenditur: quomodo autem Deus causam suam deserat?

Scribit in eundem sensum Bonifacio Comiti S. Augustinus: *Graui*, inquit, *de pugna conquereris; dubites nolo, vtile tibi tuisq; dabo consilium; arripe manibus arma; oratio aures pulset Authoris: quia quando pugnatur, Deus apertis oculis spectat, & partem, quam inspicit iustam, ibi dat palmam.* (S. August. epist. 194.) Idq; planè ita euenisse mox Bonifacius Comes gratulabundus ad S. Augustinũ rescripsit: *Manus superba, Deo iuuante cecidit, quæ ante paululùm audax gladium erecta portabat. Multi ex aduersis ceciderunt; de nostris autem, Christo iuuante, nullus est vulneratus. Ora igitur, Venerabilis Papa, vt talis de inimicis vltio sæpè procedat.* (August. epist. 195.) Et Augustinus deniq; respõdens: *Gaudeo*, inquit, *tuæ victoriæ, ciuitatem quæso serua Romanam. Tuos vt bonus rege Comes. Nihil de viribus proprijs præsumas: de authore gloriare virtutum; & nullum curabis penitus inimicum.* (August. epist. & 196.) Ita nimirũ Deo bene fauente, fiet, vt victoriâ Dei ope impetratâ, *in hymnis & confessionibus* (2. Machab. 10. & 38.)

nibus Dominum, qui magna fecit in Israel, & victoriam dedit nobis Dominus omnipotens.

CAPVT IX.

Vera & solida pacis constituendæ Ratio, ac votum.

August. lib. 19. de Ciuit. cap. 11. 12.

PAcem omnibus optabilem esse, per se liquidum est: *Nulla salus bello; Pacem te poscimus omnes*, inquit Poëta. Et S. Augustinus: *Tantum*, inquit, *est Pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis atq; mortalibus nihil gratius soleat audiri; nihil desiderabilius concupisci; nihil postremò possit melius inueniri, &c. Quod quisquis mecum res humanas statumq; communem vtcunq; intuetur, agnoscit. Sicut enim nemo est, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud, quam vincere volunt; ad gloriosam ergò pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud Victoria nisi subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab ijs etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando, atq; pugnando. Vndè pacem constat belli esse optabilem finem.*

Etsi verò pax omnibus optabilis sit, non tamen omnes veram pacem desiderant, & colunt. Est cōsensio impiorum ad mala etiam perpetranda; imò ad ipsas etiam seditiones & impia bella mouenda & gerenda. *Nam & illi*, inquit idem Augustinus, *qui pacem in quâ sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergò vt sit*

pax.

pax nolunt; sed vt ea sit, quam volunt. Deniq; etsi per seditionem se ab alijs separauerint, cum ijs ipsis conspiratis vel coniuratis suis, nisi qualemcunq; pacis speciem teneant, non efficiunt, quod intendunt. Proinde latrones ipsi vt vehemẽtius & tutius infesti sint, paci cæterorum, pacem habere volunt Sociorum. Etiam semihomo ac mysanthropus ille Cacus, *in ipsâ suâ speluncâ solitariâ, cuius, vt describitur, semper recenti cæde tepebat humus, nihil aliud, quam pacem volebat, in quâ nemo illi molestus esset, nec eius quietem vis vllius terrorq; turbaret.* Ego vero de hac pace non ago, sed de illâ pace, quæ ipsis etiam bonis optabilis est; quæ inter bona temporalia huius vitæ ita publicam tranquillitatẽ, consensionemq; tuetur; vt bona non amittamus æterna; quæ sit virtutis comes; instrumẽtum pietatis; vitiorum moderatrix, disciplina morum, Reipub. salus.

Nec valde obscurum, si generatim loquamur, pax hæc publica qualis esse debeat. Primò etenim *honestam* esse debere nemo negarit; ne, cum pietatis esse debeat adminiculum & præsidium, sit administra scelerum. Quare nec contraria esse debet diuinis legib⁹; nec ingrata supremo numini. Deum enim in pace habere offensum, id veram est amisisse pacem. Quid enim pacem eam dixeris, quæ cũ inter homines concordiam colat, Deum habet inimicum? quem solum si amicum haberes, nulla totius etiam mundi inimicitia extimescẽda esset, nec adeò veram tibi pacem posset adimere. *Si Deus pro nobis,* inquit Apostolus, *quis contra nos?* si autẽ absq; Dei nutu, imò contra Dei leges, pax impia sanciatur, necesse est, vt Ecclesia dicat: *In pace amaritudo mea amarissima.* Rom.8.v.31. Isai.38.v.17.

Dein-

Deinde nemo inter bonos est, qui non optet veram ac solidam pacem. Fucata etenim pax, est vera, sed occulta inimicitia; quæ nocentior est aperto etiam bello. Sanè *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Amasę cædes; Apollonij simulatio; Iudæ proditio ideò detestabiliora erant scelera, quod pacis specie odia contegerent; nec locum facilè inuenisset meditatum scelus, nisi amicitiæ sibi fucum induxisset. *Sagitta vulnerans,* inquit Propheta, *lingua corũ, dolum locuta est: in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusmodi non vlciscetur anima mea?*

Prou. 27. ℣. 6. 2. Reg. 20. 2. Machab. 5. Luca 22. ℣. 48. Ieremiæ 9. ℣. 8.

Sed & firmam & constantem pacem optant omnes: constans erit, si & odium, belli, aut nouæ litis fomitem, nullum in corde reliquum faciat; & vera virtute nitatur. Pectus enim vitiosum, quia iustitię, virtutisque fræno non regitur, & cohibetur, firmæ pacis sedes esse non potest: sed quo impetus animi furorq; trahit, etiam in tumultum, in seditionem, in bellum icto fæderi contrarium, sequitur. Tamdiu pacatum est, quamdiu libitum est, & priuatis affectibus, studijsq; commodum. Si priuatũ commodum bellum suadeat, mox bellum paci anteponit. Et quid hac pace tam infirma, tam labãte proficitur; nisi vt, positis armis, ex ipsa pace timor ac periculum augeatur; & qui se tutum in pace existimabat, ex improuiso inermis opprimat. Inuenias nonnunquam, qui vetus, vti putant, magni Regis exemplum imitati dicant, *sit modo pax in diebus nostris*; sicq; pacem quamlibet, quibuslibet conditionibus comple-

Digitized by Google

complectuntur, nihil de conscientiâ, nihil de Deo, & Iustitia, nihil de posteritate soliciti. Sed hi & mutilant scripturæ sententiam; omissione *veritatis,* siuè Iustitiæ, paci adiungendæ. Dixerat enim Ezechias: *Fiat tantum pax, & veritas,* (seu iustitia) *in diebus meis*; nec aduertunt, eam quamuis alioqui magni Regis vocem, non tam fuisse virtutis, quam necessitatis, diuino iudicio culpam consecutæ. Isai. 39. 8.

Pax igitur honesta, solida, firma, in votis est omnium bonorum; & mentiar, si non ipse etiã totis præcordijs ac intimis visceribus talem pacem exoptem. Sed quâ ratione talem pacem cõsequemur? Vtiq; quia ex pacis olim statione, in sæua bella itum est, retro remetiendo ac relegendo vestigia, quibus in hæc deuia litium discessum est. Stabat sanè olim Germania fœlix honestâ, solida, firma pace; & ex pace, opibus, gloria, virtute nobilis, priusquã nouis illis noui Euãgelij buccinatoribus, litium seminatoribus, seditionumq; præconib⁹ aures patulas præberet. Simul verò ac ab ortu funesti Euangelij Lutheri seditiosis clamorib⁹ pulpita insonuere, Caluiniq; & Zvvinglij nouis Sectis, rebellis conspiratio contra Ecclesiam Christi antiquã, Catholicam, toto orbe, omniq; æuo diffusam, aucta est, pulsa pace; Bellona terras occupauit; nec vnquam hactenus, centum propemodum nunc annis, firma pace restituta, castris exui potuit; quamdiu deserta semel Catholicæ religionis vnitas exulauit. Hanc reuoca; & comitem simul pulsam, Pacem sanctam, solidam firmamq; continuò Germaniæ reddideris.

Digitized by Google

Absq; hac fidei Catholicæ vnitate pax qualis qualis & facta est sæpius, & fieri adhuc frequenter potest; eo sępius, quò facilius rumpitur & violatur. Sed eiusmodi pax inprimis fieri facilè potest, vt honesta non sit; quia diuinis legibus, veræq; Religionis sanctitati contraria: si honesta sit, certè vt syncera & solida sit, vix obtinebis. Vbi enim internum animos dissidium, fidei & religionis diuersitate, occupauit, quia abest animorũ consensio, vix potest solida esse, veraq; concordia. Certatur inuicem totis quasi castris; templa, sacra, ritus; etiam matrimonij ac sepulturę iura antiquissimis Ecclesię sanctissimisque statutis communia esse non possunt: quos vna pars religionis & virtutis causa in sua ditione colit, altera damnat, eijcit: nititur interim vna quæq; pars pro viribus seipsam, suæq; religionis fines, viribus & verbis ornare, extendere, propagare; nonnunquã etiam cum iactura & iniuria partis aduersæ; quando antiqua maiorũ monumenta & opulentæ fundationes, ad fidei Catholicę pręsidiũ, ad fidelium eiusdem Ecclesiæ solatium, ad animarum etiam depositarum subsidium institutæ, non rarò interuertuntur, rapiuntur: quomodo inter hæc pax vera & solida subsistet?

At esto sit vera etiam, & nõ fucata pax; at cũ in altera partium, aut pluribus etiã partib⁹, vera fides, & cum fide necessariò etiã Christiana charitas, virtusq; absit; quomodo sine vera virtute erit pax firma & constãs, quæ repressis indomitis animi motib⁹, priuatisq; cõmodis posthabitis, à recto tramite, à pactis

à pactis & conuentis, à fide data non patiatur se abduci? Aut si constans esse pax & consensio potest sine religionis consensione, cur hactenus toties fractam, toties redintegrari; toties in alias & alias formas, vix vnquam sine nouo Ecclesiæ Catholicæ damno fingi refingiq; necessum fuit? An tempora posteriora speramus, commodiora fore prioribus? An non potius experientia docet mundum quotidie in deteriores degenerare mores? Sapiẽtis quidẽ monitum est: *Ne dicas, quid putas causa est, quod priora tempora meliora fuere, quam nunc sunt? Stulta enim est huiusmodi interrogatio.* Sed vti nouitas temporis per se accusanda non est, ita tanta sectarum & schismatum indies crescentium nouitate, absq; temeritate dici potest, & vtrinq; ferè in confesso est, mundum non certè meliorem, sed deteriorem reddi. Eccles. 9. & 11.

Quid ergo restat, nisi vt ad pristinam pacis stationem Catholiceq; Religionis & Ecclesiæ vnitatẽ redeatur? S. Augustini dictũ est: *Non amant pacem, qui diuidunt* (Ecclesiæ) *vnitatem, &c. Oderunt pacem, qui volunt conscindere vnitatem.* Is etiam Donatistas, qui olim fœdo schismate sciderant Ecclesiæ vnitatem, ita alloquitur: *Expergiscimini aliquando; non vos tartareus obliget somnus; non in profundum sacrilegi erroris adhuc impia consuetudo demergat: iam consonate paci; cohærete vnitati: acquiescite charitati, cedite veritati. Ecclesiam Catholicam incipientẽ ab Hierusalem, cognoscite vsquequaq; diffundi, &c. Ecce Dominus dicit, Per omnes gentes, incipientibus ab Hierusalem. diuinam veritatem in vna Ecclesia teneamus, & humanas lites aliquando finiamus.* Aug. enarrat. in Psal. 124. Aug. lib. post. collat. c. 18. Luc. 24.

Digitized by Google

Et S. Cyprianus errorum simul ac litium originem detegens: *Hoc fit*, inquit, *dum ad veritatis originem non reditur; nec caput quæritur; nec Magistri cœlestis doctrina seruatur. Quæ si quis consideret, & examinet, tractatu longo, atq; argumẽtis opus nõ est. Probatio est ad fidem facilis, compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam Petrã ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non vincent eam. Tibi dabo claues Regni cœlorum; & quæ ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunq; solueris super terram, erunt soluta & in cœlis. Et eidem post Resurrectionem suam dicit, Pasce oues meas: super illum vnum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post Resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum sanctum; si cui remiseritis peccata, remittentur illi; si cui tenueritis, tenebuntur: tamen vt vnitatem manifestaret, vnam Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem, ab vno incipientem suâ Authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis; sed exordium ab vnitate proficiscitur, & Primatus Petro datur; vt vna Christi Ecclesia, & Cathedra vna monstretur; & Pastores sunt omnes, & grex vnus ostenditur, qui & Apostolis vnanimi consensione pascatur, vt Ecclesia Christi vna monstretur: quam vnam Ecclesiam etiam in Cantico canticorũ Spiritus sanctus ex persona Domini designat, & dicit, Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genetrici suæ. Hanc Ecclesiæ vnitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? qui Ecclesiæ renititur, & resistit, in Ecclesia se* esse

Cyprian. de vnitat. Eccles. in princip.

Matth. 16.

Ioan. 21.

Ioan. 20.

Cant. 2.

Digitized by Google

esse confidit? &c. Quisquis ab Ecclesia segregatus adulteræ iungitur, à promissis Ecclesiæ separatur. Nec perueniet ad Christi præmia, qui relinquit Ecclesiam Christi; Alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam nō potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.

Et vero licet hæc in veræ fidei, veterisq; Ecclesiæ Catholicæ vnitate consensio, apud homines videri possit impossibilis; *non* tamen *impossibile est apud Deum omne verbum*; qui cum sit Author & largitor pacis, facile reuocare potest amissam pacem. In ipsius potestate posita sunt tempora omnia & momenta; ipse *mortificat, & viuificat*; ipse *deducit ad inferos, & reducit*: ipse hæreses & schismata; quādo vult, permittit, quando vult extinguit; ipse distribuit *tempora belli & pacis*, ipse etiā corda Regum in manu sua habet; quæ facile in quamcunq; voluerit partē impellet. Pro hac pace à Deo impetranda quamplures Sancti, partim in terris viuentes, partim etiā in cœlo regnantes; multi etiam proprij sanguinis effusione ob fidei Catholicæ professionem nobilitati, non desinunt ardentissimas ad Deum preces fundere; & nos etiam, quicunq; Christi nomē profitemur, in societatem huius tam sanctæ deprecationis venire necesse est. Quis scit; si miseratus tandem Deus sanctorum suorum labores, dolores, preces, benignam aurem rogantibus præstet. Iam nostra etiam ætate, Regum, Principumque corda Deus idem sæpius fœlici mutatione ad Ecclesiæ Catholicæ veritatē agnoscendam perduxit: orandum tantò ardentius, vt quod bonum opus cœpit, ipse perficiat, consolidetque.

Ecclef. 3. v. 8.
Prouerb. 21. v. 1.

Digitized by Google

Interim verò dum hæc omnium pioru vota differuntur, quid facto opus? An leges pacis ab Imperio dictas, pacta, & conuenta publica, fidemq; datã contra Jura violãdam suadebimus; vt quæ pax votis, pacisq; studijs reuocari non potest, vi armisq; restituatur? Minimè. Fædera rumpere, pacta & conuenta violare, non est pacem veram procurantium, nec optantium, aut suadentium. Quid ergo? Promouenda quidem certè pacis desideratæ vota, quibus possumus legitimis ac licitis medijs ac studijs. Inprimis verbo & calamo Catholicę religionis veritas à viris doctis ac pijs magis ac magis semper publicè priuatimque suadeatur, ac propugnetur. Etiam inter aduersę partis aduersa studia, quasi per antiperistasin pacifici huius, incruenti, ac papyracei belli ardor incalescat. Non periclitatur, sed emicat magis & enitescit oppugnata ab Aduersarijs diuina veritas; & *hæreticorum comparatione* (seu etiam impugnatione) *iucundior est inuentio veritatis*, inquit S. Augustinus. Arceantur tamen calumniæ, mendacia, contumeliæ; quæ nonnisi desperatæ veritatis indicia sunt. Adhæc vigilet oculus Principis, & in omnes euentus intentum habeat animum, paratas vires. Ita etiam in pace arma belliq; studia ponat, vt armatũ hostem non timeat. Iustitia deindè vtrinq; illæsa seruetur, cuius studium & amor etiã inter Ethnicos quandoq; inuiolatam diu pacis trãquillitatem seruauit. *Duæ sunt amicæ*, inquit S. Augustinus, *Iustitia & Pax; tu fortè vnam vis, & alteram non vis. Nemo enim est, qui non velit pacem; sed non omnes*

S. Augustin. in Psal. 9.

In Psal. 84.

volunt

volunt operari iustitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? vno ore respondebit tibi genus humanum, opto, cupio, amo, volo. Ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt, Justitia & pax; ipsæ se osculantur: si amicam porrò non amaueris, non te amabit ipsa pax; nec veniet ad te.

Si quis hostis, violatis publicis pactis & conuẽtis, bello armisq́; Jura probatę Religionis, & Ecclesiæ inuadat; si quis forte Adonisedec socios orthodoxorum populos, terrasq́; hostilib⁹ armis iniquè aggrediatur; adsit Iosue, propugnator & Aduocatus Ecclesiæ Princeps. Non leuiter cedat; sed in Deo fiducia posita, iniustis armis, arma iusta opponat, vimq́; vi strenuè repellat. Non temere cedendo, sed resistendo pacis optatæ votis propinquamus. Iam superius demonstrauimus, Ecclesiã Catholicam vinci non posse, nec pacem eius oppressione sperandam. Mille quingentis iam antè annis; nuper etiam centum proximis annis ab Ethnicis, ab hæreticis fuit impugnata; expugnata nunquam: enituit ipsa hæc proxima annorum centuria, doctrinâ, sanctitate, & constantiâ, eò magis, quo minus ab hostibus tuta, otio vacare, & ignauiâ dissolui minus potuit. Lutherus in sexcentas propè sectas dissectus & distractus, iam propemodum etiam in fumum & ludibrium abijt. Ecclesiæ Catholicæ Principes, suo erga Ecclesiam Patrocinio deesse non possunt; Doctores & Pastores Ecclesiæ publicam religionis causam nunquã deserent; nil aliud restat, quam vt icta semel pacis fædera inuiolata seruentur. Interim patientia & longanimitas,

Iosue 10.

dum vera pax expectatur, vtrisque necessaria: ne fortè quos Deus ipse *ad pœnitentiam expectat* patiens,
Matth. 5. v. 9. nos nostra impatientia, subuertamus. Nunquã in
Luca 21. v. 19. hac vita pax esse solet sine patientia. *Beati quidem*
Matt. 11. v. 29.
Matth. 5. v. 44. *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*; sed nunquam pacifici nisi etiam *persecutionem* æquo animo *patiantur propter iustitiam. In patientia vestra*, inquit Dominus, *possidebitis animas vestras.* Et: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Item, *Benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*

His seruatis, aut pace etiam publica lætabimur in terris; aut si homines pacis nuntium acceptare noluerint, excussis humi pedum pulueribus, ipsi nihilominus pacem nobiscũ adferemus ad cœlos; vbi pax vera & gaudium sempiternum; vbi nullus belli horror; nec vlla trãquillitatis perturbatio; vbi consensio plena animorũ, in amore & fruitione Dei, nullo vnquam fine terminanda. *Ibi enim*, in-
August. lib. 19. de ciuit. c. 10. quit S. Augustinus, *erunt naturæ munera, hoc est, quæ naturæ nostræ ab omnium naturarum creatore donantur, non solum bona, verum etiam sempiterna; non solum in animo, qui sanabitur per sapientiam; verum etiam in corpore, quod resurrectione renouabitur. Ibi virtutes non contra vlla vitia, vel mala quæcunq; certantes, sed habentes victoriæ præmium, æternam pacem, quam nullus Aduersarius inquietet. Ipsa est enim beatitudo finalis, ipsa perfectionis finis, qui consumentem non habet finem. Hic autem dicimur quidem beati, quando pacem habemus, quantulacunq; hîc haberi potest, in vita bona: sed hæc beatitudo illi, quam finalem dicimus, comparata, prorsus miseria reperitur. Hanc ergo pacem, qualis hîc potest esse, mortales homines in rebus*

morta-


Digitized by Google

mortalibus quando habemus, si recte viuimus, bonis eius recte vtitur virtus: quando verò eam non habemus, etiam malis, quæ homo patitur, rectè vtitur virtus. Sed tunc est vera virtus, quando & omnia bona, quibus bene vtitur, & quidquid in bono vsu bonorum & malorum facit, & seipsum ad eum finem refert, vbi nobis talis & tanta pax erit, qua melior & maior esse non possit.

De qua pace etiam alibi S. Augustinus: *Futura promisit,* inquit, *qui resurrexit; pacem* (omni bello carentem & immutabilem) *in hac terra, & requiem non promisit. Omnis homo requiem quærit; sed non in regione sua illam quærit. Non est pax in hac vita, in cælo nobis promissum est, quod in terra quærimus. In futuro semel promissum est, quod in isto sæculo quærimus;* nimirum pacem ab hoste, non solum publico & externo, sed etiã priuato & interno; quando carne ad pristinam iustitiæ formam reformata, deuictã morte, relicto mundo, triumphato diabolo, cum sanctis omnibus æterna pace beati regnabimus. *Augustinus in Psal. 48.*


F I N I S.

Laus Deo, ac Deiparæ Virgini, omnibusq; Sanctis.



Errata

Digitized by Google



Errata corrigenda.

Pag. 1 versu 7. *etiam*, lege. *& iam*. Pag. 10. v. 10 *super quam*, leg. *super quem*. Pag. 16. v. vlt. leg. *maluisset*. Pag. 27. leg. *dissentirent*. Pag. 33. v. 20. leg. *Idololatria*. Pag. 24 v. 23. leg. *Tessarescædecatita*. v. 27. *Enthusiasta* v. penult. *Saccophori*. Pag 36 v 19. *instituant*. Pag. 37. v. 23. leg. *applicatam*. Pag. 46. v. 11. *harum*, leg. *suarum*. Pag. 50. v. 23 *nullo*, leg. *Vllo*. Pag. 52. v. 20 *quondam*, leg. *quandoq;*. Pag 57. v. 2 leg. *euerterunt*. Pag. 59. v. 2. leg. *Irenam*. Pag. 73 v. 3 leg. *prohibente*. Pag 74. v. 17 leg. *orthodoxam*. Pag. 76 v. penult. leg. *generalis*. Pag. 77. v 9. leg *ex ipsis*. Pag. 78. v 17, leg. *descriptam*. Pag. 82 v. 11 leg. *protectionis*. Pag 92. v. 2. *fratu*. add. *est*. Pag. 97 v. 19. leg *quam*, Pag. 103. v. antepenult. leg. *contra*. Pag. 112. v. 20 *gremium*, leg. *gentium*. Pag 113. v. 16 *affixit*, leg. *affinxit*. Pag 114. v. 17. leg. *Ex ijs*. Pag. 115. v. 13. *tam*, leg. *etiam*. Pag 131 v. 23. *item*, leg. *iterum*. Pag. 134 v. 18. leg *implacabiles*. Pag 135. v. 11. *in latinum*, add. *idioma*. Pag. 138. v. 21. dele, *Vt*. Pag 145. v. 7. leg. *patria*. Pag 148 v. 11. leg. *offerendo*. Pag. 149 leg. *in Regnum nostrum*. Pag. 154. v. vlt. leg. *legit*. Pag. 165. v. 4. leg. *Versatum*. Pag. 194 v penult. leg. *direptionem*. Pag. 198. v. 1. *Dominum*, add. *benedicamus*. Pag. 207. v. 20. *hac*, leg. *hac*. Cætera menda leuiora candidus lector absq; monitore facile emendabit.

